BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLVIII
H
37
NAPOLI

818
V

SACRA RITUUM

CONGREGATIONE

Emo, & Rmo Dño Card.

CHISIO

PRÆFECTO

POTENTINA, seu RAVELLEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

BONAVENTURÆ A POTENTIA

Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci.

NOVA

POSITIO

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Caritate in Deum, & Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, & ad effectum &c.

NAPOLI

ROMÆ MDCCLXX.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Digitized by Google

POTENTINA, seu RAVELLEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

BONAVENTURÆ A POTENTIA

Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci.

ANIMADVERSIONES

NOVÆ

R. P. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An conſtet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Caritate in Deum, & Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in caſu, & ad effectum &c.

BEATISSIME PATER.

Inter tot Cauſſas, quæ in Sacra Rituum Congregatione pertractantur, infimum non obtinet locum iſthæc, in qua de Virtutibus S. D. BONAVENTURÆ a POTENTIA diſceptatur: Propoſita jam ſemel fuit in Congregatione Antepræparatoria habita die 20. Menſis Septembris anni 1763.; Sed quamquam in eâdem felicis exitus indicia præluſerint, nondum tamen eo redacta res videbatur, quo nulla amplius illuſtratione indigeret: Nonnulli enim ex Doctiſſimis Suffragantibus fatebantur quidem aliqua S. D. geſta heroica fuiſſe, atque præclara, ſed abſolutum non audebant proferre judicium, quia probationes adhuc videbantur implexæ, & obſtaculum

quoddam nondum plene enodatum. Quæ quidem omnia, ut Postulatores iis satisfacere valeant, mei muneris est breviter, ac methodice heic exponere.

2 Et sanè quamvis ea fortasse non desit probatio, quæ necessaria in hisce Causis est, ut heros quis dici possit; ea tamen adeo est implexa, ut, ni a Postulatoribus planius, ac clariori exponatur methodo, ad effectum, de quo agitur, minimè satis esse videatur: Neque hic necesse est ea perquirere, quæ adolescens adhuc in Sæculo degens gesit Dei Servus, vel ea prosequi, quæ in omnibus, quæ peragravit, Cœnobiis dedit virtutum specimina; Sufficeret namque Sapientissimis Patribus eam numeris omnibus absolutam esse probationem, quæ duodecim, vel saltem decem annorum spatium complectitur, qui vitæ Servi Dei fuere postremi; Sed id est, quod hactenus desideratur.

3 In Animadversionibus quidem, quas Præstantissimus meus in munere Prædecessor edidit, ostensum fuit difficile admodum esse continuatam probationem colligere de Virtutibus Servi Dei, qui non uno semper in loco permansit, sed modò huc modò illuc discurrit, diversas petiit Civitates, & Oppida, pluribusque in Cœnobiis moram duxit. Ut huic difficultati Postulatores occurrerent, in tres distinctas Epochas diviserunt spatium quadraginta quatuor annorum, quos in Relligione traduxit Dei Servus; Prima duodecim complectitur annos ab ejus ingressu in Relligionem usque ad annum 1678.; Altera viginti annis mensuratur, ab anno scilicet 1678, ad annum 1698., quorum tredecim in Monasterio *Isclano*, septem Neapoli, aut vicinis Oppidis transegit. Postrema tandem duodecim non superat annos, ab anno scilicet 1698. ad annum 1711., qui vitæ Servi Dei postremus fuit: Hisce constabilitis Epochis quemdam Testium confecerunt Elenchum, quibus satis ostendi contendunt, nullum esse S. D. vitæ stadium, quod necessaria destituatur Probatione.

4 Sed quamquam demus id verum esse quoad primam, & secundam Epocham, de quibus noto hic instituere quæstionem; Idem tamen de postrema, in cujus probatione totius Causæ pondus consistit, si res maturius perpendatur, adfirmari non posse videtur. Etenim hoc temporis spatio tria incoluit Cœnobia Dei Servus, quum per sex annos *Neapoli* moratus fuerit, per quadriennium *Nuceriæ Paganorum*, & tandem per biennium in *Civitate Ravellensi*, ubi diem clausit extremum: Verum ubinam Testes, qui asserant se in hisce Cœnobiis Servum Dei cognovisse? quique referant multiplices illos, ac individuos actus, qui necessarii omninò sunt, ut æquus rerum existimator aliquod heroicitatis culmen attigisse censere possit? Proferuntur quidem Testes, & quidem numero plures, quorum aliquos *Neapoli*, alios *Nuceriæ Paganorum*, aliquos tandem *Ravelli* oculis accepisse suis quidquid a Dei Servo fiebat, adfirmant Causæ Patroni; Sed quonam pacto probant eorum dicta singulis annis, de quibus est quæstio, adamussim respondere? Non aliter quidem, quàm simplici assertione ipsorum Defensorum, ut videre est in *Responsion. præteritæ Proposition. §§.25., 26., 27., & 28.*; At quis unquam dixerit in Judiciis, ac præsertim in tam gravi negotio assertiones hasce sufficere, ac Postulatorum dicto esse adquiescendum? Nemo quidem est ex Reverendissimis Patribus, qui de eorumdem side, & integritate vel tantillum dubitet; Sed omnes sciunt illos qui ad opportunitatem Causis patrocinium præstant, nimio quandoque amore Causas, quas agunt, prosequi, unde qui Judicis partes agunt decipi in suffragio non formidant, si assertiones illorum validis monumentis, quæ per se inspicere possint, roborentur; contra

vero

vero judicium ſuſpendere, ac ancipites hæſitare coguntur, ſi monumenta laudentur quidem, ſed non proferantur.

5 Et revera quænam fides præſtanda eſt meris aſſertionibus, ſi ſint monumentis deſtitutæ? Quænam inſuper fides adhiberi poteſt Teſtium depoſitionibus, ſi ipſorum ſcientiæ cauſſa ignoretur? Nulla profecto; Immo nec ſatis eſt ſcientiæ cauſſam, quam proferunt Teſtes, eam eſſe, quam Poſtulatores aſſerunt, & apprime reſpondere ſingulis annis, qui poſtremam S. D. vitæ Epocham conſtituunt, niſi ulterius ſpecifici Virtutum actus per tempora diſtributi, & ordine quaſi chronologico afferantur. Quid enim ſi Teſtes iidem adfirmaverint quidem ſe cum Dei Servo converſatos fuiſſe, diuturnamque cum eodem habuiſſe conſuetudinem vel *Neapoli*, vel *Nuceriæ*, ſive *Ravelli*, ſed ubi de Virtutibus, ac ſpecificis ſingularum actibus ſermo erat, vel verborum compendio rem omnem abſolverint, vel generalibus expreſſionibus uſi fuerint, vel quoſdam tantum retulerint, qui ad heroem conſtituendum minime ſufficiant? Poſtremam hanc vitæ Servi Dei Epocham neceſſaria probatione ſuffultam quis diceret? Nemo ſane; quum ad probationem inducendam non Teſtium numerus attendatur, neque generalis ſcientiæ cauſſa ſatis ſit, ſed opus eſt, ut ex ſingulorum relationibus ea facta probentur, ſuper quibus inſtituitur judicium, quæque ad ferendum ſuffragium Judici omnino ſunt neceſſaria.

6 Atque heic ſeriò animadvertendum, quod in poſtremo ſuæ vitæ ſtadio per annos ſex *Neapoli* moratus fuit Dei Servus; at nequaquam continue, ſed iteratis vicibus; altera quidem in Cœnobio Spiritus Sancti dicto etiam S. Antonii Patavini *a die 7. Iulii anni* 1701. ad menſem *Octobris anni* 1703., altera verò in eodem Cœnobio Spiritus Sancti *ab anno* 1707. ad initium uſque *anni* 1710., ut aſſerunt Poſtulatores in *Reſponſionibus* §. 25., & 27.; Opus idcirco eſt, ut Nobis innoteſcant tum ea, quæ a Servo Dei geſta ſunt prima illa ſtatione, tum ea, quibus incubuit in altera, atque ita innoteſcant, ut facile dicta Teſtium, quæ ad priorem pertinent ſtationem, ab illis diſtinguamus, quæ ad alteram ſunt referenda. Proſtant hæc fortaſſe in Summario, haud ambigo; verum quum in eodem actus quidem ſpecifici Virtutum referantur; non autem ſcientiæ cauſſa, quæ quandoque omnino deſideratur, quandoque generalibus eſt concepta verbis, adeo ut ignorentur circumſtantiæ loci, temporis, aliæque id genus, hariolum profectò opus eſt agere, ut dicamus hos, vel illos ſpecificos actus elicitos fuiſſe a Dei Servo hoc, vel illo in loco, uno vel altero tempore. Et quamquam demus Teſtes quandoque aſſerere aliqua a Servo Dei geſta fuiſſe dum Neapoli in Cœnobio S. Spiritus Sancti, ſen S. Antonii Patavini moraretur, quæ ſunt admodum pauca, difficultas integra manet, quia adhuc latet, an ad primam, ſeu ad poſteriorem ſtationem ſint referenda; In hac autem rerum incertitudine quis certo adfirmare poterit S. D. ſemper eamdem vitæ rationem fuiſſe ſectatum, ita ut numquam declinarit ab illa; Etſi enim utraque fortaſſe ſtatio validis probationum momentis roboretur, dubitari etiam poteſt, quod vel utraque, vel alterutra neceſſaria probatione deſtituatur: Quæ quidem dubitandi ratio magis locum ſibi vindicat in caſu noſtro, quia Teſtes illi, qui teſtimonium dixerunt in utraque Inquiſitione Neapolitana, ut plurimum tamquam oculati Teſtes enarrant, quæ vel *Iſclæ*, vel *Ravelli*, vel *alibi* viderunt: Quæ vero *Neapoli* viderint, aut ſilent omnino, aut

parciſſimè commemorant, vel ſi commemorant, neceſſariam illam ſcientiæ cauſſam non referunt, quæ opus eſt, ut certo dicamus ea fuiſſe a Dei Servo Neapoli geſta.

7 Quod ſi de eo tempore loquamur, quo *Nuceriæ Paganorum* moram duxit quadriennio, ſcilicet ab anno 1703. ad annum 1707. magis etiam involuta res eſt. In Sacro namque Conventualium Aſceterio ibidem conſtructo iis, qui tirocinium agebant, præerat, ideoque Poſtulatores difficultatem omnem e medio ſublatam arbitrantur, dum quatuor ex illis proferunt, qui ſub ejus Diſciplina Religioſam vitæ rationem fuerunt edocti, præter alios quoſdam, quos eodem in loco familiariter cum Servo Dei egiſſe aſſerunt. Sed præterquamquod ea inſtauratur difficultas, de qua ſatis ſupra, ſcilicet, quod ſatis non eſt Teſtes proferre, niſi etiam & ſcientiæ cauſſa, quam adducunt, & res, quas enarrant, referantur: Profecto iidem Teſtes etſi aliquid probent, nequeunt tamen eam probationem inducere, quæ integrum quadriennium complectatur. Etenim ſi de iis ſermo ſit, qui in Nucerino Conventu probatioois annum expleverunt, improbabile non eſt eos omnes eodem anno, vel infra biennium in Regulari Diſciplina fuiſſe inſtitutos; Quod ſi ita ſe res haberet, iidem inepti eſſent ad probandum quoad reliquum tempus, & ita duo, treſve anni ſine Teſtibus ſupereſſent. Contra vero ſi Poſtulatores contendant ſingulos diverſis annis Regularis vitæ tirocinium poſuiſſe, ab eorumdem depoſitionibus plena probatio erui non poterit, quia omnes tamquam Teſtes ſingulares cenſendi eſſent, quibus plenam fidem adhibere jure prohibemur, ac proinde difficillimum erit duos Teſtes de viſu reperire, qui ſaltem relativè ad unius anni ſpatium conteſtes ſint.

8 Ceteri Teſtes, *qui eodem Reſponſionis* §. 26. adducuntur, minoris ſunt cenſus. Etenim *Teſtis II. Proceſſi. Apoſtolici Neapolitani P. Cennamo*, etſi quædam narret a S. D. geſta, numquam tamen *in Summario* adfirmat *Nuceriæ Paganorum* a ſe viſum, vel auditum Dei Servum. Adfirmavit fortaſſe in *Proceſſu*; ſed quum hic lateat Sapientiſſimos Conſultores, Poſtulatorum eſt ejuſdem dicta, & ſcientiæ cauſſam publici juris facere in Elencho, quem ajunt confectum; *Teſtis X. Princeps Sirignani* facile patet quam ſit ad probandum ineptus, quum ejuſdem depoſitione ſemel tantum uſi ſint, eaque non ad probandam aliquam S. D. Virtutem, ſed potius ad illuſtrandam prædictionem quamdam, ut *ex Summario pag.* 274. 275., 276. §. 46., & 47. patet: Neque hæc prædictio contigit dum Nucerinum incolebat Cœnobium, ſed *menſe Aprili anno* 1710., quando Dei Servus Neapoli adhuc morabatur *Summar. pag.* 275. *in princ.* = *Teſtis XIII. P. Hyacinthus Macri a Siderno* numquam fortaſſe habuit cum Servo Dei *Nuceriæ* domicilium, quum ex ejus depoſitione facile coniici poſſit, quod ex altero Cœnobio in vicina Urbe ſito ad Dei Famulum inviſendum *Nuceriam* interdum ſe conferebat = *Con molta prudenza*, inquit, *eſercitò il Servo di Dio l'uffizio di Maeſtro de Novizj nel Convento della Città di Nocera, dove io allora andavo a trovarlo. Sum. p.* 155. §. 31. neque aliud quidpiam de geſtis S.D. *Nuceriæ* commorantis profert niſi generica laudata verba quoad optimam Tironum in Regulari Diſciplina inſtitutionem; *Teſtis* tandem *XIX. Proceſſi. Informativi Neapolitani*, quum ſolo ubius Quadrageſimæ decurſu familiariter cum Dei Servo Nuceriæ egerit, ut ex *primis Animadverſionibus* §. 11., nequit proferri ad probationem inducendam relative ad ſpatium totius quadriennii.

Su-

9 Supereſt modò, ut de poſtremo illo biennio diſſeram, quod *Raselli* traduxit. Et profecto ad hanc Epocham quod attinet, probationem uberiorem eſſe libenter fateor, quum diligentiſſimi Poſtulatores eo in loco duplicem inſtitui curarint Inquiſitionem, alteram ſcilicet Ordinaria, alteram vero Apoſtolica auctoritate, in quibus plurimi numero Teſtes ad examen fuere vocati, ut conſtat ex eorum *Elenchi* relato *in Summar. pag. 3. litt. C., & pag. 8. lit. F.*; Verum alicui ex [R]mis Patribus, & hæc etiam probatio manca viſa eſt, atque imperfecta; Etenim ex Teſtium Relationibus diſcimus Dei Servum, ut Epiſcopi pareret mandatis, Sacrarum Virginum, quæ in Aſceteriis degunt, iteratis vicibus Directorem fuiſſe, ac Confeſſarium, ut dicitur, extra Ordinem, ut *ex Summar. pag. 158. §§. 54., & 55., pag. 161. §§. 71., & 72., pag. 162. §. 73.*, & alibi: At quamquam plurimæ ex his in utraque Inquiſitione teſtimonium dixerint, attamen, vel nullius, vel alicujus tantum depoſitio in *Summario* refertur; quum tamen plurium eſſent referendæ, ut Sapientiſſimi Patres ſcire poſſent, quo Caritatis ardore, qua prudentia, hiſce muneribus dedit operam.

10 Quæ quum ita ſint, jam vident Cauſſæ Patroni, quid ſit ab ipſis præſtandum: Novum neceſſe eſt conficiant elenchum, in quo omiſſis illis, quæ ad priores Epochas pertinent, ea tantum proferant, quæ ad poſtremam referenda ſunt, diverſas S. D. ſtationes diſtinguant, & ex Proceſſibus eos ſeligant Teſtes, qui magis ſunt idonei; quanam ſcientiæ cauſſa ſinguli præditi ſint, oſtendant, & dum ſpecificos, peculiareſque Virtutum actus proferunt, annos, quibus reſpondeant, diſtincte, accurateque deſignent: Paucis: Hujuſmodi elenchus talis eſſe debet, ut Præſtantiſſimi Patres uno quaſi oculorum ictu agnoſcant, an Probatio ea ſit, quæ neceſſaria omnino eſt, ut de Virtutum præſtantia ſaltem per ultimum vitæ decennium conſtare cenſeant; quod omnino requiritur, ut docet *Benedictus XIV.* ab ipſis Cauſſæ Patronis laudatus in *Reſponſionibus* §. 30. Si id efficient, quin hujus Cauſſæ exitus felix, fauſtuſque futurus ſit nullus dubito: Etenim virtutum præſtantiam nil moror, quum multiplices non deſint actus, qui heroici vere videntur, & quamquam in quamplurimis actionibus ſuis Dei Servus communem Religioſorum hominum conſuetudinem ſpecietenus ſuperaſſe non videatur, nihilo tamen ſecius quum in eo Caritas tam adverſus Deum, quàm adverſus Proximum eximia vere fuerit; hinc eſt, quod actus illi, qui ardui non apparent, ſed piis quibuslibet familiares, atque uſitati, a Caritate tamen elicit, Imperati, atque informati heroici vere efficiuntur, quia, ut *Auguſtinus* ait in *Enchiridio cap. 8.* = *Nec amor ſine ſpe eſt, nec ſine amore ſpes, nec utrumque ſine fide* =.

11 Sed quamquam hæc vera ſunt, unum tamen adhuc illuſtratione dignum viſum eſt quamplurimis ex Sapientiſſimis Patribus circa Servi Dei Obedientiam, quam etſi ſemper coluerit Dei Servus Superiorum præceptis promte, alacriterque obtemperans, videtur tamen ejuſdem virtutis ſcientiam plane non noviſſe: Etenim, ut *in præteritis Animadverſionibus* oſtenſum fuit §. 27., quid magis a prudentia, a qua Obedientiæ virtus dirigi debet æque ac ceteræ virtutes, alienum, quàm piſcem integrum comedere cum ſquamis, & ſpinis, ſeſeque hoc pacto in vitæ diſcrimen adducere, quia Superior præceperat = *Che per la Santa Obedientia ſel mangi, ma ſil mangi tutto*? Nonne ſuffocationis periculo ſeſe vidit expoſi-

poſitum ? ita aſſerunt Teſtes = *mancò poco non ſi affogaſſe* = *Summ. pag.* 220. §. 65. = *poco mancando, che non ſi foſſe affogato* = *Summar. pag.* 226. §. 83.; Nonne id infortunium ei contigiſſet, niſi Superior explicaus præcepti modum, eum prohibuiſſet = *fu di biſogno, che il Superiore di nuovo li diceſſe, che buttaſſe ciò, che non era uſuale a mangiarſi* = *da cui li fu ſignificato, che il ſuo precetto era, e ſi dovea intendere della polpa* ? = *Sum. d. pag.* 220. §. 65., *&* *pag.* 226. §. 83.

12 Dicunt quidem Poſtulatores, quod agebatur de piſce parvi ponderis, quod unam libram non ſuperabat. Ita profecto; Non ideo tamen Servus Dei a qualibet culpa immunis cenſendus eſt. Etenim (quidquid ſit de felibus, quarum organa aliter fortaſſe diſpoſita, & ordinata ſunt, queis proinde nullam afferunt noxam ſpinæ, & ſquamæ) de hominibus agendo certum eſt prudenter timeri poſſe vitæ periculum ex comeſtione ſpinarum, & ſquamarum piſcis unius tantum libræ, vel etiam minoris ponderis, atque idcirco prorſus id eſſe illicitum: Sed quælibet controverſia ceſſat in noſtra ſpecie, quum, ut ſupra vidimus = *poco mancò, che non ſi affogaſſe* =. Hujuſmodi idcirco Servi Dei actio tamquam heroicæ Obedientiæ argumentum non eſt proferenda, quia verus Obediens ille eſt, qui abnegat voluntatem ſuam, omneſque actiones ſuas ad aiterius præſcripta exigit, quando videt licitum eſſe, quod imperatur: Contra vero ſi præceptum obſcurum ſit, & duplici interpretatione donari poteſt, quarum altera licita, altera illicita videatur, ad verum obedientem pertinet præceptum exequi ea in parte, qua licitum eſt; Nec aliter docent Doctores laudati in *Reſponſ.* §. 96., *&* *ſeqq.*; Numquam enim a peccato quis valet excuſari, qui illicitum quid admiſerit, quamvis id fecerit, ne Superioris voluntatem inveſtigaret, ſed ut perfecte præceptum impleret; Alioquin dicendum eſſet, quod licita ſint peccata, ſi hæc Subditis a Superioribus præcipiantur.

13 At non tantum ex his, quæ de piſcis comeſtione dicta ſunt, clarè patet Dei Servum Obedientiam ſuam ad ſpiritus prudentiæ leges non exegiſſe, ſed etiam ex aliis quamplurimis factis, quæ hic referri poſſent, ſi per otium liceret; Sed hæc Doctiſſimos Suffragantes non latent: Ut enim in *præteritis Animadverſionibus* §§. 20., *&* 21. oſtenſum fuit, numquam induci potuit Servus Dei, ut exciperet confeſſionem cujuſdam Mulieris, quæ ut ſuam penes eumdem expiaret conſcientiam, longum ſuſceperat iter, ne vel pedem e loco dimoveret, ubi ſtans a Superiore præceptum audiverat = *Aſpettami quì* = licet Superioris mens fuerit = *che non partiſſe di Caſa* =; Referunt alii Teſtes, quod quadam vice non dubitavit immotus perſiſtere in publica Urbis Neapolitanæ via, decidente etiam pluvia, & ſero jam facto, ut Superioris juſſionem impleret, qui ei præceperat, ut aliquantùlum expectaret, ſed oblitus poſtea ne cogitans quidem de Servo Dei, ad Cœnobium remeaverat *Summar. pag.* 209. §. 12., *pag.* 214. §. 36., *pag.* 221. §§. 65., *&* 68., & alibi: Etſi enim hæc indubia heroicæ Obedientiæ ſpecietenus argumenta videantur, talia tamen non ſunt, ſi veræ virtutis leges conſideremus, veluti oſtendi poſſet ex liſdem auctoritatibus, queis utuntur Poſtulatores; Porrò certum eſt, quod = *cæca obedientia excludit prudentiam carnis, non prudentiam ſpiritus, quemadmodum late proſequitur Suarez de Religion. tom.* 4. *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 27 = verba ſunt *Benedicti XIV. lib.* 3. *cap.* 41. *num.* 9.; Qui autem ita obtemperat Superiori, ut præcepti vim non aſſequatur, ſicuti prudentia ſpiri-

tus

tus caret, ita in ea virtute dici nequit heros. Lucidius igitur Poſtulatores hæc Servi Dei geſta ad veræ, heroicæque Obedientiæ leges fuiſſe exacta, ipſumque in omnibus actionibus ſuis carnis prudentia abjecta illam, quæ ſpiritus dicitur, perpetuo conſuluiſſe oſtendant,

Quæ dicta ſint ſub cenſura &c. Salvo &c.

Carolus Alexius Piſanus S. Fidei Promotor.

POTENTINA, seu RAVELLEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

BONAVENTURÆ A POTENTIA

Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci.

RESPONSIO

AD NOVAS

ANIMADVERSIONES

R. P. D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Caritate in Deum, & Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, & ad effectum &c.

BEATISSIME PATER.

TIBI olim magno Consilii Thesauro, sed quasi abscondito in agro: Sapientiæ Lumini, sed quodammodo latenti sub modio: Virtutis Militi, & Duci, & Muro, & Clypeo, & Gladio, sed fere unius Seraphici Ordinis præsidio & incremento; mox autem Dei miserentis omnipotentia, palam in Arce Apostolici Culminis, & in Vertice late patentis Christiani Imperii, & in medio Orbis Terrarum theatro, nutantis fidei Columnæ, labantis disciplinæ Propugnaculo, periclitantis Ecclesiæ Firmamento: TIBI Sacerdotis æterni Christi Dei, & Domini nostri, ut potestate & honore, ita spiritu & ministerio, juxta canones Doctoris Gentium, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in scientia, in longanimitate, in suavi-

tate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, Vicario: TIBI denique Teſtimonio geſtarum, & ſpe certiſſima gerendarum rerum, in teterrima temporum tempeſtate, fœdiſſimaque malorum omnium colluvie, Pacis Syderi, lucis Angelo, Fundatori concordiæ, Conciliatori unitatis, Amplificatori auctoritatis, Propagatori lætitiæ; En tandem aliquando ſiſtitur, atque flectitur ſupplex ipſemet ille Tuus Minorum Conventualium Ordo, quem tanto Pius amore proſequeris, ut ab eo divelli non ſinas, quamvis immenſa curarum mole diſtractus, quamvis majeſtate prope divina ſublimis. Is itaque valde animi fidens, geſtiensque de Te, illud unum exorat a Te, Clementiſſime, perficiendum, quod a quamplurimis Summorum Pontificum glorioſæ memoriæ Prædeceſſorum Tuorum, Teque ipſo cumprimis urgente, ſæpius deſponſum, promotum, incœptum eſt. Pro Cauſſa nempe Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei BONAVENTURÆ a POTENTIA Sacerdotis, ac Profeſſoris ſui præclariſſimi a S. R. C. propediem expedienda, Tuoque demum Supremo definienda Judicio, Te devote, ut par eſt, & enixe, ut res poſtulat, adprecatur. Jam ſeptimus volvitur annus, ex quo fuit ſemel, itemque feliciter propoſitum dubium: an ſcilicet conſtet de S. D. Virtutibus in gradu heroico. Exinde altum in hunc diem ſilentium, aut remorante fortaſſis temporum injuria, aut adverſantibus Animadverſionibus novis V.Cl. R.P.D. Fidei Promotoris. Quæ cum ita ſint, noſtrum eſt objectis occurrere, nam Tu fere de temporum jam profligata calamitate triumphas.

2 Et quoniam Animadverſiones doctiſſimæ primo loco, hoc eſt a numero primo ad decimum, de Probationibus agunt ſpeciatim poſtremi decennii: ſecundo vero, ſcilicet a numero undecimo ad ultimum, obſtaculum unicum quoddam aſſerere pergunt; hinc nos eundem ordinem ſequuti, duas eaſdem in partes Reſponſionem dividimus. Eſto igitur

PARS I.

De Probationibus ſpeciatim poſtremi decennii.

CAPUT I.

De præmittendis Elencho Probationum.

3 JAM Deceſſor in munere Animadverſoris Eximii omnem moverat lapidem, ut evinceret, ſingulas prorſus Vitæ S. D. Epochas Probationibus ad effectum idoneis deſtitui; ut conſtat ex ſuis præteritis Animadverſionibus, a numero 5. ad 14. Jampridem etiam Poſtulatores objectis cumulatiſſime ſatisfecerant: Probationes uberrimas & emendatiſſimas dederant, eaſque a teneris prope, ut dicitur, unguiculis ad obitum uſque deduxerant; ut late patet in ſuperiori Reſponſione a numero 11. ad 32. Eò præterea demum profluxerat res, ut in Congregatione Antepræparatoria Menſis Septembris anni 1763. ſpiſſiora ſuffragia votis adriſerint; quod & ipſæ Animadverſiones novæ fatentur num. 1.

4 Poſthæc ſolertiſſimus Animadverſor, ut muneri more ſuo ſtrenuam navaret operam, objectum idem excitavit. Sed abire in immenſum noluit: cætera ſilentio præteriit, ſeu potius comprobavit: in unam ultimam Epocham totam aciem direxit: & Probationes Virtutum decennii poſtremi, tum omnimode neceſſarias contendit, tum hactenus deſiderari conqueritur, tum pro-

protinus novo, & numeris omnibus absoluto Elencho sufficí præcipit, imitat, & urget. Hic est fere unus decem priorum numerorum scopus: hæc summa disertissimarum Animadversionum.

5 Nos autem primo videre videmur, hoc ipsum Causſæ moliri subsidia, ejusque commodis inservire: Virumque Clarissimum isthac in parte potius Causſæ velificatorem, quam Censorem egisse, & Probationem Virtutum, eò feliciorem, quo breviorem, contractis opportune temporibus, reddidisse.

6 Secundo plane cognoscimus, affluenter Animadversori scientissimo satisfactum iri, dum una describatur, atque fiſtatur Judicibus Optimis jussa decennualis Elenchi Tabula. Id reapse mox agimus ex instituto, & in eo præcipuam Responsionis vim collocavimus. Alia, non abs re, sed præter opus, & veluti extra Causſam adduximus.

7 Tertio Amplissimos exoramus Patres, ut equidem peramanter excipiant hunc decennalium Probationum Elenchum, & sinant utique, & probent præcisionem hanc temporum, momentorumque reliquorum heroicæ Vitæ anteactæ S. D., ad optatissimam celeritatem, opportunitatemque Judicii, quod æquum, bonum, felix, fauſtumque sit; sed præterea sedulo prospiciant, ut assolent, ne temporis cura Causſæ præstantiam imminuat: & ne majora, minoribus: redundantia, sufficientibus: Innocentissimi, Peccatoribus, utut Pœnitentibus: & demum Sancti ab infantia, omniumque omnino dierum, Viris heroicis quidem, sed tamen decem dumtaxat annorum, vulgo misceri, æquari, & uno haberi penitus ordine videantur. Hoc enim, ut norunt, est absonum, & ex infra dicendis, apertissime contra Ecclesiæ morem, & mentem. Ergo vel semel Suffragantes Gravissimi meminerint, Causſam istam prædivitem, præseferre propemodum alios quinquaginta, continuatos, heroicos Virtutum annos ante decennium postremum, Animadversionibus ipsis minime refragantibus. Quanti vero istud sit, vel interfit in casu; ipsi Sapientissimi viderint.

8 Quarto etiam impensius rogamus, & obsecramus æquissimos Judices, ut animadvertant, Nos dum compellimur ad novum hunc decennalem Elenchum omnibus absolutum numeris adornandum, non immerito contendere posse, ad id nullo penitus vinculo, ac jure teneri: & posse item jure meritissimo conqueri, hac lege Nos adigi quodammodo ad onus indebitum superfluæ probationis, adversus quam Postulatores de more, etiam vindice & auspice S. R. C., protestantur. Nos quidem id non conquerimur; quinimo in Causſæ commodum cedere mox illud diximus: libenter Insuper onus ipsum subivimus, & plene, atque etiam supereffluenter persolvimus. Sed interea negligendum, ac dissimulandum omnino non est, præstare in casu quam longe, ubertatem ab indigentia, & libertatem a necessitate secernere. Non enim eadem esse potest doni, atque debiti ratio.

9 Ergo pretium ducimus operæ hic paulisper consistere, & ante oculos sapientissimorum Suffragantium, tum juris præscripta hac in re, tum Causſæ ipsius exceptiones & privilegia ponere: & plane ostendere, neque ex communibus Juris, neque ex peculiaribus Causſæ tantam nobis instare potuisse necessitatem hujusmodi decennalis Elenchi, ac tantopere absoluti numeris, comparandi.

10 Communia juris ex uno desumpsimus Benedicto XIV. partim *lib. 3. cap. 20.* partim vero, & potissimum ex *lib. 3. cap. 39.* Hic rerum Summam persequimur, ne frustra simus nimii in re, qua non est opus, itemque Judici-

dicibus Præstantissimis conspicua. Tantus igitur Juris Doctor, & etiam facile Princeps, ut clarius perspectum erit adeunti præsertim effusissimum caput 39. laudatum,

11 Monet primo Confessorum Canonizandorum per viam non cultus duplicem esse ordinem, & latum intercesse discrimen: alterum nempe Innocentium: alterum Pœnitentium. Ecclesiam autem summopere revereri præ cæteris Innocentes. Præterea plura & graviora requirere pro Pœnitentibus, quam pro Innocentibus Canonizandis. Denique dum disputatur de tempore constituendo probationibus Virtutum in casu, penitus excipi Innocentes, & expresse atque unice de Pœnitentibus instituí Sermonem.

12 Monet secundo rationem omnem hujusmodi temporis decernendi profunde explicari a *D. Gregorio*, præsertim verbis illis = *Non par fructus boni operis esse debet ejus qui minus, & ejus qui amplius deliquit. & ejus qui in multis & ejus, qui in nullis facinoribus cecidit. Sed oportet, ut tanto majora acquirat operum lucra per pœnitentiam, quanto majora sibi intulit damna per culpam* = Hic autem patet hæc referri a Bened. XIV. nedum ad pœnitentiam digne peragendam coram Deo, sed æque ad sanctitatem rite probandam coram Ecclesia. Item liquet non aliam admitti præscriptionem temporibus Virtutum in casu, quam relative proportionalem ad crimina præsupposita: quæ tamen præscriptio una semper in omnibus esse non potest.

13 Monet tertio pro *Lapsis ipsis* ad meliora conversis *tempus condignæ pœnitentiæ*, quoad sanctitatem probandam coram Ecclesia, *neque hactenus esse definitum, neque facile definiri posse; cum fieri quandoque valeat, ut quis consumatus in brevi expleat tempora multa, & multam gloriam Dominus in illo faciat &c.* Addit etiam ex *Chrysostomo*: *non temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudinem censeri*: & ex *Hieronymo in Matthæum*: *Magnum Patremfamilias eodem denario rependere laborantes in vinea, tam hora tertia juventutis, quam sexta virilitatis, quam nona senectutis, quam undecima decrepitæ ætatis*,

14 Monet quarto, Seipsum, dum munere fungeretur S. Fidei Promotoris, *audivisse quidem nonnullos Consultores asserentes, pro Virtutum approbatione opus esse: ut D. S. per spatium saltem decem annorum heroice vixerit: sive res sit de D. S., qui ante conversionem multis fuisset criminibus obnoxius: sive de D. S., qui citra gravia crimina, sed non heroice antea vixerit*; Verumtamen Ipsummet emunctissimæ naris Virum sœpius a Consultoribus illis efflagitasse aliquam hujusmodi sententiæ & necessitatis rationem, nullamque penitus uspiam fuisse redditam: atque propterea jure merito abhorruisse ab hac sententia, & ab ea recedere noluisse, quæ *diuturnam quidem exposcit in Virtutibus heroicitatem; absque ulla tamen omnino temporis definitione*.

15 Monet quinto Sapientissimos pro tempore Suffragantes, ipsumque S. Fidei Promotorem, ut in dubio Virtutum percribrando, hæc duo potissimum summa præ oculis habeant: *alterum; an Virtutes ad gradum heroicitatis ascenderint: alterum; an fulgor illarum celipsim aliquando sit passus*: ac si diceret: dum primum illud emineat, & secundum istud alto demergatur silentio, cætera flocciſaciant; nam peracta res est. Propterea subdit *plusquam temporis spatia, potius qualitatem & intensionem* longe momentosissimam actuum, habitumque Virtutum esse respiciendam: Item *anteacta Vitæ S. D. oportere serio, diuque perpendi, ut inde maxime*

xime intelligant atque conſtituant: an vel diuturni ratione temporis, quo heroice vixit: an ratione qualitatis actuum, quos breviori tempore exercuit præſtet illum inter Sanctos ab Eccleſia colendos recenſeri.

16 Sexto tandem toto Ben. XIV. ſyſtemate in unum collato, hi fere ſex, pro hujuſmodi dubio expendendo, conſtituuntur Canones. 1. *An probetur Virtutum exiſtentia, præcipue Theologalium, maxime vero charitatis.* 2. *An probetur heroicus illarum gradus.* 3. *An earundem multiplicitas.* 4. *An ipſarummet diuturnitas; nulla tamen præſcripta, vel facile præſcribenda temporis menſura.* 5. *An interſit, vel abſit eclipſis fulgoris earum.* 6. *An peracta jam ſit pœnitentia condigna peccatis, nullo interim definito, nec facile definiendo generatim, & extra Cauſæ circumſtantias, temporum ſpatio.*

17 Ergo apertiſſime ex communibus Juris nulla prorſus urget neceſſitas probationum omnimode decennalium: imo quamlibet temporum brevitatem eſſe poſſe quandoque ſatis diuturnam: & etiam quamcumque diuturnitatem cenſeri poſſe aliquando nimis brevem.

18 At longe minus hæc inſtabit neceſſitas ex peculiaribus Cauſſæ, dum eadem Præmonita illa ſingula cum Cauſſæ jam notiſſimis circumſtantiis conſerantur; nam

19 Si conſiſtit Monitum illud primum; ergo palam hæc Cauſſa, nedum eſt extra omnem neceſſitatem Probationum decennalium, ſed inſuper ultra omnem diſputationem temporum quorumcumque præſcribendorum. Præfert enim, & probat, jam nullis obſtantibus Animadverſionibus, tum S. D. infantiam divinis charismatibus præveniam, tum Vitam omnem, nec brevem, integritatis & innocentiæ flore vernantem. Qua de re jure ſuo *ad judicium Beatificationis accedit Innocentium privilegiis redimita, non autem ſubdita legibus*, ſi quæ modo ſint, *Pœnitentium*.

20 Si tanta pollet gravitate & profunditate Sanctiſſimi Doctoris Mooitum illud ſecundum; ergo abſoluta & conclamata res eſt. Ubi damnum facinorum præſupponitur nullum; nulla eſt & abſurda compenſatio, & lucri bonorum operum præſcriptio.

21 Si Monitum tertium quicquam obtinet virium; jam Cauſſa hæc noſtra triumphat. Quis enim dixerit ipſos diu, atque graviter Lapſos non obſtringi ex ſeſe decennalibus hujuſmodi Probationibus; coerceri vero ad eaſdem *Sanctum, divinitusque præventum ab infantia, & ſexaginta continenter per annos innocentem?*

22 Si Monitum quartum non demeretur tanto Hiſtorico fidem; igitur jam, nondum *Benedictus XIV.* conſpicuus hoſtis decenuii, ſed & ipſi decennalis ſententiæ Patroni hanc Cauſſam noſtram excipiunt ab aſſerta, licet numquam probata, neceſſitate decennii. Conteſtantur enim hujuſmodi *neceſſitatem completti dumtaxat geminum Servorum Dei genus: Primum eorum, qui graviter ante converſionem deliquerint: Secundum eorum, qui citra gravia crimina, verumtamen non heroice antea vixerint.* Excipitur ergo apertiſſime genus iſtud tertium S. D., qui neque gravibus unquam fuit peccatis obnoxius, neque ſolum citra crimina gravia, ſed & heroice, & diutiſſime antea vixit.

23 Si Monitum, quintum penitus deſpiciendum non eſt; ergo in caſu, cum *Virtutum præſentia* emineat, ut ſol, ex ipſis Animadverſionum aſſertis: cum itidem *eclipſis omnis* ab hinc diſceſſus inclareſcat, ut dies, ex ipſo Animadverſionum ſilentio: cum ſimul *extenſio* temporum, atque Virtutum ſit

late votis prolixior : & Virtutum *intenſio* præter omnem dubii aleam præcelſior ; jam omnino conſequitur, Præſtantiſſimos Suffragantes concludi undique & impelli, quo demum toto pleniſſimoque calculo inter Sanctos ab Eccleſia coleudos, hunc etiam Dei Servum, ad majorem Dei gloriam, coumerent.

24 Si ſexto tandem loco adlecti Canones vigent, & urgent ; igitur ex toto *Benedicti XIV.* ſyſtemate, jam ſatis,& nullo novo adhibito Elencho, rem comprobavimus & colluſtravimus omnem. Nam ipſo vade Animadverſore Clariſſimo ſex illi Canones ſinguli jam ſunt in hac Cauſſa adamuſſim, atque ubertim impleti. Id vero patet ex numero Animadverſionum 10. verbis illis = *Etenim Virtutum præſtantiam nil moror ; cum multiplices non deſint actus, qui vere heroici videntur, & a charitate eliciti, informati, atque imperati vere heroici efficiuntnr* = & ex numero 4. = *Quamquam demus hoc verum eſſe quoad primam, & ſecundam epocham, de quibus nolo hic inſtituere quæſtionem &c.* = Habet ergo in probatis, ut liquet, *exiſtentiam, heroicitatem, multiplicitatem, diuturnitatem* Virtutum, quatuor nempe Canones illos priores. Deinde *eclipſim* obiicit nullam, ergo fatetur abſentem, & a quinto etiam Canone inculpatos nos recedere juſſit. Canonem denique ſextum *pœnitentiæ*, aut jure merito intervacare præſumpſit, avverruncata quam longe peccatorum eclipſi, aut facili negocio compleri poſſe putavit ex abundanti, dum Virtutes heroicas, diuturnas, multiplices indiſcriminatim, pœnalibuſque præſertim eminentibus inter alias, aſſeruit.

24 Præterea unum addimus. Ipſe nobis Præclariſſimus Animadverſor hunc partim exhibet, partim vero permittit Cauſſæ ſtatum. Primo ex dictis ſilentio præterit, & ratas habuiſſe videri voluit Probationes Virtutum Vitæ omnis anteactæ S. D. Secundo ſub numero Animadverſionum 9. nedum recipit, ſed & laudat ubertatis quamplurimæ Probationes Virtutum totius Biennii poſtremi, & hoc ſubſequutæ Sanctiſſimæ Mortis. Tertio, ex præfatis,eclipſim effert & obiicit nullam, & innocentiam perennat, obfirmatque ſilentio. Quarto ex præſuppoſitis actis, diſcuſſis, & comprobatis,famam unlverſalem atque conſtantem Virtutum Infirmare, nec debuit, nec potuit. Nunc ſic inſtabimus, bona Viri Ornatiſſimi venia. Fuit anterior heroica ad annum prope quinquageſimum Vita ? Fuit, Inquit, non iſtud revoco in quæſtionem. Fuit præterea poſtremum etiam heroicum & late probatum Biennium, & Pretioſa poſt ipſum Mors, adhuc miraculis illuſtrata ? Fuit, ſubdit, id falſus ſum. Abfuit deinde a tota penitus Vita virtutum eclipſis omnis? Abfuit : iſtud, inquiet, ſatis probavi ſilentio. Tranſiit Fama Sanctitatis in rem judicatam ? Tranſiit, jam multis ab hinc annis, omnino reponere oportet. Ergo primùm hic res non eſt amplius de decennio poſtremo, nec de finali perſeverantia, quæ Summa eſt rerum, & hujuſcemodi Cauſſarum ; ſed tantum de Octennio intermedio : quod inſigniter ſtatum quæſtionis immutat. Deinde, conſtitutis eo pacto utrinque Vitæ & Probationum extremis,& item mediis,nullo prorſus obſtaculo poſitive interjecto, non adverſantibus, jam jure optimo Poſtulatores contendere poſſunt ex præſumptione vehementiſſima & irritanti, ratas ex hoc ipſo, & probatas, & conſpicuas eſſe Probationes ipſius Octennii intermedii, nullaque propterea opus eſſe ulteriori, validiori, illuſtriori Probatione. Hinc novus alius Elenchus quilibet ſuperfluus eſt.

25 Adde, quod aſſertis,vel permiſſis talibus, ac tantæ molis extremis, jam inter-

termedia illa, quacunque etiam labe (quod absit) inspergerentur, rem non inficerent: & neque Testium absentia & silentium (quod tamen est nullum): neque ipsa jam certa (quod nefas) a Virtute deflexio, & publica peccatorum historia, tales ac tantas Causæ munitiones concuterent. Cur vero ita? Triplici certissima, gravissimaque de Causa. Primo quia merita præfulgentissima annorum fere quinquaginta in ipso primo postremi Biennii articulo omnino reviviscerent, ex communissima Theologorum Sententia. Secundo quia Biennium unum heroicum postremum ex qualitate intensissima Virtutum probatissimarum Testibus affluentissimis, optime locum & censum condignæ pœnitentiæ, in casu, tenere posset; profligata præsertim Decennii sententia. Tertio, quia merita reuascentia, quocunque sub gradu, priorum, meritis succedentibus in gradu heroico & mirifico, posteriorum temporum, per vinculum conversionis copulata, jam pœnitentiam conflarent plusquam decennem, dum etiam decennalis sententia immota consisteret,

26 Igitur ex omnibus, tum *communibus juris*, tum *peculiaribus Causæ*: tum ex *Benedicto XIV.* decennii everfore: tum ex ipsis decennii *Assertoribus*: tum tandem ex ipsismet *diserti ssimis Animadversionibus*, jam pronum, & æquum, & tutum esset Postulatoribus contendere & instare, nullatenus novo decennalium Probationum Elencho teneri: Et causam istam præmunitissimam jamdudum esse in anteactis omni fœnore & lege solutam, atquein tutissima statione compositam.

27 Sed tamen nobis satis erit superque, dum hæc, Scientissimis Suffragantibus late explorata, ad horam, & per transennam introspiciantur; ut ubertatis donum, & gloria, a vinculo & debito necessitatis discerni fas sit. De cætero his præmissis, & etiam ultro dimissis, jam novum absolutissimum decennalem Elenchum omnino ad mentem & apicem doctissimarum Animadversionum instituimus.

CAPUT II.

De novo triplici chronologico Elencho Stationum, Testium, & testimoniorum postremi decennii Vitæ S. D. hoc est. A die 7. Julii 1701. ad diem 26. Octobris 1711.

ELENCHUS STATIONUM.

STATIO PRIMA *Neapolitana* prima in Conventu *S. Antonii* extra Portam Medinam vulgo *S. Antoniello*: etiam alias *Spirito Santiello* a die 7. Julii 1701. ad Mensem Octobris 1703.

STATIO SECUNDA *Nucerina* unica a mense Octobris 1703. ad Mensem Junii 1707.

STATIO TERTIA *Neapolitana* secunda in eodem præfato Conventu *S. Antonii* a Mense Junii 1707. ad diem 4. Januarii 1710.

STATIO QUARTA *Ravellensis* ultima a die 5. Januarii 1710. ad diem 26. Octobris 1711., qui fuit Vitæ S. D. postremus.

Hæc autem, tum ex sese notoria sunt, & probatione non indigent, tum plene ex subjiciendis comprobantur.

Elen-

ELENCHUS TESTIUM.

28 PRO STATIONE PRIMA.

I. Teſtis. Extra ordinem Proc. Informat. Neapolit. *Admodum R. P. Bonaventura de Marinis Sacerdos Ordinis Minor. Convent.*. Habetur autem authentica Atteſtatio ejuſdem inſerta Proceſſui Informativo Neapolitano fol. 972. Eſt interim abſolutiſſimus de viſu Teſtis, & factis, ut plurimum, propriis, totamque complectitur hanc primam, quem admodum & ſecundam integram Neapolitanam ſtationem. Id vero facile probari poteſt, tum ex Proceſſibus Informativis, & Apoſtolicis, tum ex relata atteſtatione ipſiuſmet Teſtis, tum ex depoſitionibus *D. Franciſci de Marinis* Germani ejus Fratris, tum ex depoſitionibus aliis *P. Nicolai Sirleti* diuturnioris contubernalis ejuſdem, itemque S. D. Sed ne tantam moleſtiam congregaremus Judicibus Ampliſſimis, appoſite comparavimus authenticum monumentum adnexum *Summario Additionali*, cujus autographum, cum hujuſmodi reliquis, inferius citandis, Eminentiſiſimo Cauſæ Ponenti obſequenter ſiſtendum curavimus. Patet igitur *ibi pag.* 23. *litt. A.* hunc Teſtem præfuiſſe Cœnobio S. Antonii Neapolis anno 1701. 1702., & 1703. uſque ad medium Aprilem: ac deinceps perduraſſe in eodem, ut unum de Familia.

II. Teſtis; ſed IV in ordine Proceſſus Informat. Neapol. *Admod. R. P. Nicolaus Sirleti Sacerdos Ordinis Minorum Conventualium*. Et hic oculatus eſt Teſtis utriuſque Neapolitanæ Sationis, & S. D. in eodem Cœnobio Confeſſarius, & hanc præcipuam profert ſuæ Scientiæ Cauſſam in locis infra citandis, Ad hæc nonnulla ex laudato Proceſſu adducimus. Igitur fol. 1111. ter. iſta leguntur: *Incominciai a trattare col medeſimo* (Servo di Dio) *fin dall'anno* 1701. *nel Convento dello Spirito Santiello di queſta Città, dove eravamo ambedue aſſegnati di ſtanza*. Et fol. 1114.: *faceva molte penitenze nello ſteſſo Convento di S. Antoniello. . . quali ò più volte inteſe dalla ſtanza mia confinante alla ſua . . . . eſſendo egli di età di anni 55. in circa*. (qui annus reſpondet anno 1707. in 8., ac propterea ſecundam aperte pervadit Sationem) & fol. 1128. *Nel tempo che ſtiede meco nel Convento dello Spirito Santiello diede più volte gli eſercizj Spirituali*.) quæ de more ſemel perſolvuntur in anno; & fol. 1137. *Per quanto oſſervai nel lungo tempo che fui aſſieme col detto Servo di Dio nel Convento dello Spirito Santiello* = Sunt & alia hujus generis, quæ negligimus, nam præmiſſa ſatis ſuperque demonſtrant annorum ſeriem poſt annum 1701.

III. Teſtis *Admodum R. P. M. Franciſcus Antonius Grillo Ordinis Minorum Conventualium*: Hic item eſt Teſtis extra ordinem adjectus Proceſſui Informativo Neapolitano: Eſt pariter Teſtis de viſu, contubernalis, & Confeſſarius S. D. pro Statione hac, eamque ipſe refert optimam ſcientiæ Cauſſam in locis inferius citandis. Idipſum autem teſtatur ipſemet in Proceſſu præfato fol. 966. ter. his verbis = *Nel Convento di S. Antonio fuori Porta Medina della Città di Napoli . . . fui di ſtanza per lo ſpazio di due anni in circa dopo il milleſettecento, unitamente col fu P. Bonaventura da Potenza Sacerdote, di cui fui Confeſſore*. Igitur neque huic Teſti oculato confirmando aliis egemus Teſtibus.

IV. Teſtis; ſed VI. in ordine Proceſſ. Inform. Neapolit. *D. Fulvius Pagano Eques Neapolitanus*. Hunc etiam de viſu & pro integra utraque Neapolitana Statione habemus Teſtem. Fuit autem D. S. conjunctiſſimus, &

ab

ab eodem ad meliorem frugem converſus, eamque ipſe reddit cauſſam exploratiſſimam ſuæ ſcientiæ in locis infra citandis. Quod nunc attinet ſatis eſt ea referre, quæ prodit in Proceſ. fol. 1162. tergo = *Avrà da circa trent'anni, ch'io conobbi detto Servo di Dio, quando ſi portò di ſtanza nel Convento di S. Antonio, alias detto lo Spirito Santiello di queſta Città, ove appena giunto, per il deſiderio grande, che avevo di conoſcerlo per la fama della di lui bontà, fu da' Padri di detto Convento portato in mia Caſa, e allora incominciai a trattarci di coſe Spirituali, e così continuai tutto il tempo, che ſi trattenne in detta Città, communicandogli ſempre, non ſolo i miei intereſſi ſpirituali, ma anche temporali* = & fol. 1155. = *Per l'intima cognizione e famigliarità, che io ebbi con detto Servo di Dio per lo ſpazio di molti anni, che dimorò in queſta Città nel ſudetto Convento di S. Antonio, devo con verità deporre &c.* = & fol. 1160. ter. = *Il che lo ſo, perche in quel tempo mi trovavo di Caſa all'incontro di detto Convento, e procuravo d'informarmi di tutte le azioni di detto Servo di Dio.*

V. TESTIS; ſed X. in ordine Pr. Ap. Neap. & XV. in ord. Pr. Inſ. Neap.: *Excellentiſſimus Dominus D. Joſeph de Januario Venden. Eynden. Patritius Neapolitanus, Princeps Sirignani, & Primarius Sacri Regii Conſilii*: Hic autem hæc habet de tempore & cauſſa ſuæ ſcientiæ in Proc. Inform. Neapol. anni 1729. fol. 1276. = *Io è conoſciuto detto Servo di Dio di Perſona da circa trent'anni, e ci è trattato ſpeſſe volte, e quaſi ſempre di coſe Spirituali* = alia ex locis citandis.

quam integro poſtremo biennio Stationis Ravellenſis, ut Teſtis præcipuus expertus eſt, nam erat inibi localis Superior, & Confeſſarius S. D. Obverſabantur illi ante oculos, & vehementius animum percellebant, quamplurima illa, vel mira, vel miracula, quæ in morte, & poſt mortem S. D. oculis viderat, & manibus contrectaverat ſuis. Hinc merito alia raptim attingit, ut ad illa perveniat. Teſtem tandem menſium utique, non annorum, Quintum advocavimus. Sit ergo, ut eſt, & qualem ſe profitetur, menſium dumtaxat oculatus pro Nucerina Statione Teſtis. Cæterum hic, ſi quis alius uſpiam, ſcientiſſimus fuit geſtorum ac temporum omnium vitæ S. D., & locum graviſſimi tutiſſimique Teſtis Stationum ſingularum tenere potuit. Fuit enim & ipſe Cultor virtutum eximius, obiitque publica, & inſigni ſanctitatis fama honeſtatus; propterea quæ poſtiſſimum S. D. ſtudioſiſſimus, itemque ipſi omnium familiaris ac neceſſarius, itemque ſtatim poſt Nucerinam Stationem ſingulis annis plurimorum menſium contubernalis in Neapolitano S. Antonii Cœnobio. Præterea paullo poſt, ut innuimus, & adhuc in vivis Ravelli agente Dei Servo, Provincialis Miniſter renunciatus. Hinc ea quæ oculis non eſt expertus, multiplici, certiſſima, ac plena fere oculari ſcientia aſſequi potuit. Sed hæc omittimus.

68 In §. 9. Biennium Stationis Ravellenſis præcipuis effertur laudibus, deprædicaturque comprobatiſſimum ad omnem penitus ubertatem. Unum præterea quæritur. Cur nempe Sacræ Virgines in Aſceteriis concluſæ, quibus S. D. Confeſſario extra ordinem uti contigit, quamplurimæ quidem in utraque Ravellenſi Inquiſitione teſtimonia dixerint, attamen vel nullius, vel alicujus tantum depoſitiones ſint in Summarium invectæ?

69 Nos unice hoc numero vade & fidejuſſore laudatiſſimam Ravellenſem Stationem ſilentio prætermiſimus. Id vero quod ſupereſt unum, leviſſimi, imo nullius eſt ponderis. Igitur foliatim diligentiſſime tum quatuor integra volumina utriuſque Inquiſitionis Ravellenſis, tum Summarium ipſum evolvimus. Equidem in Proceſſibus quatuordecim hujuſmodi teſtimonia nanciſcimur. Ex Cœnobio nempe Sanctæ Claræ Ravelli quatuor, quorum Primum fol. 989., & 2638. Secundum fol. 1000. Tertium fol. 2633, Quartum fol. 2660. Ex Cœnobio S.S. Triuitatis Ravelli quatuor, quorum Primum fol. 1023. Secundum fol. 1034. Tertium fol. 1047. Quartum fol. 1064. Ex Cœnobio S. Cataldi Scalen. ſex, quorum Primum fol. 1346. Secundum fol. 1363. Tertium fol. 1377. Quartum fol. 1387. Quintum fol. 2677. Sextum fol. 2689. Ex his autem non nullum, neque unum, ſed quatuor invenimus in Summario deprompta; Primum nempe pag. 216. Secundum pag. 286. 287. Tertium pag. 303. Quartum pag. 329. Interea probe intelleximus, cur Author Summarii quatuor his prælibatis, cetera pertranſierit. Plane reliqua nihil habent, niſi quod Teſtes ſemel tantum viderint, vel audiverint Dei Servum ferventiſſime de Dei amore, & de Virtutum perfectione & aſſecutione loquentem. Cæteroquin Virtutes ipſius, & pretioſam mortem de auditu dumtaxat, & publica fama concelebrant. Et id quidem jure merito. Nam D. S. ut ipſæ referunt Teſtes bis tantum Moniales S. Claræ Epiſcopo mandante adivit. Semel nempe in die SS. Virginis a Monte Carmelo, tunc cum caſu abſente Confeſſario, Confeſſiones illarum excepit: Deinde iterum in die Feſto S. Claræ, tunc cum in illa Monialium Eccleſia Sacrum fecit. Ad Cœnobium item S. Cataldi acceſſit una tantum vice ab Epiſcopo juſſus, & miſſus. Ibi pauca, fortaſſis neque ad horam, cum illarum nonnullis, de

quibus

quibus res erat, ſpiritualia loquutus eſt, præterea nunquam, & nihil. Sic age de tertio S.S. Trinitatis Ravelli Aſceterio, quò una, vel altera ſolum vice conceſſit. Adde duas fuiſſe ex illis Teſtibus in Summario deſideratis, quæ D. S. ne vultu quidem uſpiam agnoverant. Una enim vigeſimum, altera trigeſimum peragebat annum, dum ad examen eſt evocata, quod tamen anno fere trigeſimo poſt obitum S. D. inſtitutum eſt. Tandem & aliæ nonnullæ ſeptennes, noveunes, decennes tantum erant tunc cum D. S. eas inviſit. Ex his modo quid roboris haurieudum erat ad Cauſſæ munimentum? aut cur hæc leviſſima non præterirentur in Statione illa omnium Teſtibus oculatis, expertis, uberrimis refertiſſima?

70 In §. 16. Iterum expreſſius novi Elenchi decennalis poſtremi inculcatur neceſſitas: priorumque epocharum præteritio: Stationum diſtinctio: Teſtium electio: actuum ſpecificorum Virtutum cum annis accurata collatio; & hujuſmodi reliqua, de quibus jam ſuperius multa nimis.

71 Nos, licet nulla ueceſſitate juris devincti; verumtamen libentes, & obſequentes hujus potiſſimum Animadverſionis mandatis obtemperavimus. Ergo jam decem prioribus doctiſsimarum Animadverſionum numeris plenisime ſatisfecimus. Nunc tribus qui ſuperſunt poſtremis occurrimus; ſed alio quodam rerum ordiue; nam & Ipſi rem aliam reſpiciunt.

PARS II.

CAPUT UNICUM

De aſſerto obſtativo ex actibus Obedientiæ S. D.

72 OCCUPAVERAT dilueratque olim hæc, vel his ſimilia in præteritis ſuis Reſponſionibus Cauſſæ Patronus. Sed quoniam ea Sapientiſſimis Patribus, & Animadverſori Eximio hactenus plene non arrident, iteratiſque objectis præcipiunt Virtutem hanc S. D. facile principem magis, atque magis expoliendam, & illuſtrandam; Nos viribus licet impariibus, non quidem effuſa atque plena, ut magnum, & varium, & multiplex argumentum exquireret, ſed ſummaria quadam, & compendioſa tractatione rem adorimur.

73 Summa igitur objectorum hæc eſt. Obedientia S. D. videri poteſt vel ſtupiditas potius, vel flagitium, vel etiam utrumque. Ex quo, aut vim præcepti non eſt aſſequutus, aut operam dedit illicitis, nuſquam, & quocumque ſub obtentu admittendis. Hinc alterutra, vel utraque de cauſa, prudentia Virtutum moderatrix deſiderari videtur, tum in actibus recenſitis, tum in aliis permultis ejuſdem ingenii.

74 Sed abſit prorſus hoc malum ab iſta Cauſſa, & a Virtutis hujus actibus illis. Non enim iſtud iſthinc abeſſe quam longe tantum intereſt, vel intereſſe debet noſtri, & gloriæ, & Virtutis, & Cauſſæ hujus S.D.; ſed & Eccleſiæ, & Sanctorum inſuper quamplurimorum, quorum Eccleſia, qua late patet, virtutes celebrat, doctrinam recipit, memoriam colit. Publica, ni fallimur, hæc eſt Virtutis, Sanctorum, & Eccleſiæ Cauſſa. Si vitium ineſſet illis actibus, jam in ipſa Virtute, & in Virtutis inſtitutione, & diſciplina hoc ipſum hærere dicendum eſſet. Et ſic, vel S. D. cum tot atque tantis ſanctiſſimis

Viris, quorum veſtigiis tam acriter, atque feliciter inhæſit, culpandus erit, vel cum iiſdem omnino abſolvendus, atque laudandus. Non enim nova quædam, atque inaudita molitus eſt, ſed magna, ſed plurima, ſed pervagata Sanctorum exempla, atque præcepta viritim eſt æmulatus.

75 Non abnuimus rem eſſe ſuapte natura, nedum imitatione, & aſſequutione perraram ac perdificilem, ſed etiam captu ſublimiorem, & abſtruſiorem. Quam longiſſime enim diſcedit ab oculis carnalium hominum, qui terrena ſapiunt, & ea quæ Dei ſunt non percipiunt. Deſpicimus equidem ea nefaria atque perverſa quamplurima, quæ proximioribus præſertim temporibus perduelles Hetherodoxi oblatrarunt, tum in ſanctiſſimos Viros Obedientiæ, Regularis præſertim, inſtitutores, aſſertores, cultores, tum in Virtutem hanc ipſam vere Divinam, eamque maxime, quæ cœca, & prompta dicitur, nulla mora permiſſa, nulla ratione adhibita, impie illam ſtupiditatis, inhumanitatis, ferocitatis, immanitatis inſimulantes. Iſtos inquam Canes, qui foris ſunt, tum contemnimus fortiter, tum piè comploramus. Sed fatemur inſuper longe non abeſſe puſillorum quorumdam, ſin minus ſcandalum, admirationem ſaltem, & imperitam querelam.

76 Ergo iterum dicimus, idque Sapientiſſimos Patres non latet, rem iſtam eſſe paſſim hominibus imperviam, & inacceſſam, difficile intelligi, difficilius aſſequi; non vitio, ſed exceſſu quodam virtutis, ſublimitatis, & divinitatis ſuæ. Hinc ſpecie, & cortice tenus aſpera multa, & rationi humanæ adverſa, & ſecum ipſis pugnantia, & abſurda continere videtur; quæ quidem obiicere facillimum, ſed complanare, & componere ſalebroſiſſimum eſt.

77 Nam una ex parte quis neſciat Apoſtolicum illud: Deo nempe placitum eſſe noſtrum *obſequium*, ſed tamen illud, quod ſit *rationabile*? & etiam illud Romanorum 16. = *Veſtra obedientia in omnem locum divulgata eſt. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo*? Item illud Dominicum: *Eſtote prudentes ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut Columbæ*? Item illud: *obedire oportet magis Deo, quam hominibus*? Hinc certum, ratum, exploratiſſimum eſt in exequendis Præpoſitorum mandatis diſcernendum eſſe inter bonum, & malum, atque propterea rationis bono utendum, obſiſtendumque præcipienti contra mandatum Dei. Hic jam habes in Obedientia abſolutiſſimam prudentiam, diſcretionem, rationabilitatem.

78 Sed alia & adverſa ex parte novum quendam rerum ordinem, & huic valde, ſpecie ſaltem, diſſimilem cernimus. Primo ipſum nomen cæcitatis Obedientiæ infixum, vehementer præmiſſa conturbat. Nam ſi cæcus eſſe verus, & perfectus Obediens nedum permittitur, ſed & urgetur, & omnino præcipitur; qui fieri poteſt, ut idem ſimul & circa idem ſit cæcus & videns? Si ex præmiſſis, rationabilis, ſapiens, & prudens rationis bono uti debet, & inter bonum & malum diſcernere, ut probe & perſpicere internoſcat: & videat, num mandatum contra, vel juxta Dei legem ſit, ac propterea, an Prælato præcipienti obtemperandum ſit potius, vel obſiſtendum, jam videntem, & multa penitiùs introſpicientem illum habemus; Ergo cæcus eſſe non poteſt. Si vero ut perfectus ſit, ut etiam ſit verè cæcus oportet; ergo perfectus Obediens inter bonum, & malum non diſcernit, & rationabilis, ſapiens, prudens eſſe non debet.

Si

Si vero dicas illum in quibuſdam videntem, in aliis vero cæcum eſſe oportere; jam majoribus tricis involvimur; nam ſic videre debebit, & diſcernere, tum ea, quæ videre, tum ea quæ non videre opus ſit: quæ prorſus ſe ipſa ſubvertunt.

79 Adde Sanctorum Patrum præclara monita, itemque exempla præclara, quæ cæcitatem omnimodam abſolutiſſimæ Obedientiæ conſtituunt, & rationem, diſcretionemque prorſus omnem a perfecto Obediente depellunt. Quid enim aliud eſt illud Petri Bleſenſis Epiſtola 131. apud ipſum Benedictum XIV. in ipſo loco ab Animadverſore Doctiſſimo citato = *In contractu obedientiæ non habet diſputatio, aut diſceptatio locum; nam ſi in diſcuſſionem, ſeu ſuſpicionem ea quæ tibi ſunt mandata deduxeris, ad lignum ſcientiæ boni, & mali manum prævaricationis extendis. Nimis delicata eſt hæc obedientia, tranſiens in deliberativum genus cauſſæ. Non eſt hoc in auditu auris obedire, non eſt hæc regularis obedientia ſine mora, ſed aſtutia tergiverſatrix, & aperta ſuperbia?* = Quid illud Caſſiani *lib.* 4. *cap.* 41. apud eumdem Ben. XIV. loco laudato = *Stultum te ſecundum Apoſtoli ſententiam facias in hoc Mundo, ut ſis ſapiens, nihil diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ fuerint tibi imperata, ſed cum ſimplicitate, & fide obedientiam ſemper exhibeas, illud tantummodo ſanctum, illud utile, illud ſapiens eſſe judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel Senioris examen indixerit: tali namque inſtitutione fundatus ſub hac diſciplina poteris durare perpetuo &c.?* = Quid illud Guigonis Carthuſienſis epiſt. ad Fratres de Monte Dei, olim Bernardo adſcripta, *tom.* 3. Operum Divi Bernardi *cap.* 3. *pag.* 230. (*bona voluntas*) *per Juſtitiam defert majori, per Prudentiam non credit ſe ſibi, per Temperantiam refugit diſcernere, per Fortitudinem totam obedientiæ ſe ſubdit, non diſcernente, ſed adimplente &c. Perfecta Obedientia eſt, maxime in incipiente, indiſcreta: ideſt non diſcernere, quid, vel quare præcipiatur, ſed ad hoc tantum niti, ut fideliter, & humiliter fiat quod a Majore præcipitur. Lignum enim ſcientiæ boni & mali in Paradiſo, cenſura diſcretionis eſt in converſatione Religionis penes Patrem ſpiritualem, qui dijudicat omnia .... Sic animalem diſcretum, novitium prudentem, incipientem ſapientem in Cella poſſe diu conſiſtere, in Congregatione durare impoſſibile eſt. Stultus fiat, ut ſit ſapiens, & hæc omnis ſit ejus diſcretio, ut in hoc nulla ſit ei diſcretio: hæc omnis ei ſapientia ſit, ut in hac parte nulla ei ſit?* Quid item illud ex abſolutiſſimo Tractatu de ordine vitæ inter Bernardi opera *tom.* 3. *cap.* 8. *pag.* 434. = *Rectores Monaſterii dilige ut Parentes, time ut Dominos, crede eſſe ſalutare quod injungunt. Sed hæc cuſtodire non poteris, niſi te ſtultum facias, ut ſis ſapiens: nihil ſcilicet diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ fuerint tibi imperata, ſed cum omni ſimplicitate, & fide ſemper obedientiam exhibens; illud tantummodo ſanctum, illud utile, illud ſapiens judicans, quod tibi vel lex Dei, vel Senioris examen indixerit?* Quid illud Sancti Bonaventuræ *tom.* 2. *pag.* 59. = *perfecta obedientia eſt indiſcreta?* Quid tandem illud D. Gregorii in *lib.* 1. *Reg. cap.* 2. = *Vera obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit. Neſcit judicare quiſquis perfecte didicerit obedire?*

80 Quis modo iſta componet? Utique S. Bernardus id feciſſe viſus eſt in ſerm. 41. de diverſis §. 3.; Sed non inde tamen omnis controverſia ſoluta videtur =

Oſtendamus inquit quantum poſſumus quæ ſit obedientia ſpecialis ad Deum, propria ad hominem, communis inter Deum, & hominem. Sunt quædam ſumma mala, quædam ſumma bona. Summa bona ſunt diligere Deum, amare proximum, veritatem loqui, non furtum facere, non falſum Teſtimonium dicere, non adulterare, & alia multa, quæ ſermonis brevitas numerare prohibet. Summa mala ſunt eorum contraria, & ſimilia illis. Bona præcepit Deus, ut faciamus: a malis jubet, ut abſtineamus. Præcepti hujus ſumma & incommutabilis authoritas non valet quoquo modo refelli. . . . Si ergo homo ille, quem impoſuit Deus ſuper Capita noſtra aliter ſentire voluerit, ut præcipiat bona relinquere, vel malis adhærere, audacter refutandum eſt præcipientis imperium, & libera voce dicendum: Obedire oportet magis Deo, quam hominibus. . . . Inter vera ſumma mala, & ſumma bona quædam media ſunt. . . . Media ſunt, ambulare, ſedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire. . . . In his igitur mediis ſubditi eſſe, & obedientes debemus ad nutum Præpoſitorum, nihil interrogantes propter conſcientiam, quia in his nullum præfixit opus Deus, ſed Prælatorum dereliquit imperio diſponendum. Hæc Bernardus.

81 Aurea quidem, & Bernardo digna regula, & omnino in regulari Obedientiæ exercitio tenenda. Veruntamen aliquid adhuc ſupereſt, aut illuſtrandum, aut excipiendum. Non enim omnia complecti videtur. Nam primo difficile eſt id in praxi componere cum illa ſtultitia, indiſcretione &c. de qua ſuperius multa nimis. Secundo oporteret nequitiæ, vel ad minus imprudentiæ damnare quamplurima Sanctiſſimorum Virorum exempla ab ipſis Patribus, & ab ipſomet Divo Bernardo laudata. Nam is *de Præcepto, & Diſpenſatione cap.* 16. extollit facinus illius, qui Filium Obedientiæ cauſſa furni incendiis expoſuit, idque plurimum laudis, & gratiæ recepiſſe docet pro eo, quod obedivit. An non iſtud eſt apertiſſime unum ex ſummis malis, a quibus Deus juſſit, ut abſtineamus, nempe: *Non occides?* Si præmiſſa regula generalis Divi Bernardi nullam pati poteſt exceptionem, & omnino audacter refutandum eſt præcipientis imperium, & libera voce dicendum: *obedire oportet magis Deo, quam homini*; Cur hic laudatur qui non Deo, ſed homini contra mandatum Dei parere viſus eſt?

82 Peccavit item Sancta Theodora illa, de qua Simeon Methaphraſtes apud Surium ad diem 11. Septembris, tom. 5., ex quo miſſa a Prælato ad hauriendam aquam e lacu cum evidenti vitæ diſcrimine propter Crocodilum in eo lacu degentem, & omnes eo accedentes dilaniantem; dicto confeſtim paruit, & nullam rationem, diſcretionem, ſapientiam, prudentiam adhibuit, vel adhibuiſſe viſa eſt. Peccavit item Eliſanus Monachus ex Benedict. XIV. loco ſtatim citando, qui juſſus a ſuo Abbate manum in bullientem aquam injecit, ut ex imo cacabi neſcio quid extraheret = Peccavit pariter Sanctus Maurus qui in Lacum ſubmergendus proſiliit = Peccavit Mutius Abbas qui filium in flumen projicere perrexit = Peccavit alius ille quidam a Sulpitio apud Caſſianum relatus, qui ſemetipſum in medias Clibani flammas proripuit = Peccavit Marcus, de quo Tom. 7. Julii Continuatorum Bollandianorum pag. 360. qui a Jacobino juſſus, prunas e coquina nudis in palmis attulit ſemel, & iterum retulit = Peccaverunt etiam tres illi S. Philippi Nerii diſcipuli,

de

de quibus Tom. 3. Maii Continuatorum &c. pag. 1015., qui ab hoc eodem Magiſtro juſſi prorſus nudi (fœdum equidem, & minus honeſtum in modum) per celeberrimum Urbis locum jam iocedere abibant. Sic age de aliis hujuſmodi pluſquam ſexcentis.

83 Nunc vero hæc omnia tum cæcitatis obedientiæ ingenio aperte patrata ſunt, tum pleno paſſim S. S. P. P. ore laudantur. Ergo neceſſario ab illa generali Divi Bernardi Regula excipienda ſunt. Item inſtat publica neceſſitas iſtorum componendorum, & illuſtrandorum. Nec abnuimus id præclare Divinum Eccleſiæ Spiritum per ſuos Divini verbi Adminiſtros, atque Doctores hactenus perfeciſſe, & in poſterum ſæpius perfecturum eſſe. Huic igitur ſublimiori Eccleſiæ Catholicæ Sapientiæ, & Doctrinæ nos ipſos ſubmittimus, & Cauſam iſtam: Ipſi cæcam, & promptam, etiam cum vitæ diſcrimine, Obedientiam hujus S. D. tuendam ab adverſis omoibus committimus, & in genua provoluti humillime inſtantiſſimeque commendamus. Idipſum enim nos pro hac Cauſſa, & Virtute, dictum, probatum, ſtatutum, reſponſum volumus, quod ipſa S. Mater Eccleſia pro eadem S. S. Virtute tenuit, docuit, reſpondit. Hinc etiam nullam peculiarem rationem iſtorum pro noſtra modicitate & inſcitia reddentes, jam profecto in communi S. S. Cauſa, & judicio plane abſoluti, & metu omni liberati ſumus.

84 Hæc autem adeo vere obſcura, ac ſumme reverenda ſunt, ut eadem viſa ſint Benedicto XIV. In loco eodem a Præſtantiſsimo Animadverſore pro ſe laudato, qui omnino pro nobis eſt = Habet ergo lib. 3. cap. 4 t. 0.8. = *In eo quod ſpectat ad promptam Superioris mandatis obedientiam multa ſunt Patrum dicta de cæca obedientia Superiorum mandatis exhibenda* = Hic recitat Patrum teſtimonia, & exempla, quæ & nos ſuperius recitavimus. Deinde quæſtionem, quam movimus, movet. Primum habet = *Exempla ſuppetunt, quæ laudare videntur, etiam in rebus aperte illicitis eſſe Superiori obediendum* = Hic refert exempla, quæ retulimus. Dehinc pergit = *Quia vero Superiori aliquid mandanti contra legem Divinam non eſt obediendum, quemadmodum ſancitur in Canone: ſi his &c.* Hic advocat Bernardum, Thomam, Suareſium, & Rodericum, qui hæc eadem aſſerunt. Ex his autem aliud Summus Pontifex concludere noluit, ut vere ſapiens, niſi iſtud. *Non eſſe ſtatim judicium ferendum adverſus Dei Servum, qui Superioris præcepto non obtemperavit, ſed præceptum Superioris eſſe ponderandum, atque diſcutiendum &c.* = Excuſavit jure inobedientes in caſu, ſed in caſu obedientes acculare noluit. Exempla ſuperius recenſita obedientium in illicitis, dixit vim non facere contra inobedientes in illicitis iiſdem; ac propterea non condere legem generalem de ſemper obediendo in illicitis. Sed e converſo neque exempla inobedientium legem ferre contra obedientes, quaſi neceſſarium ſit numquam obedire, ac perpetuo obſiſtere illicita præcipientibus. Id evidentiſſimum eſt ex ipſis verbis, quibus demum concludit = Habet enim = *Haud urgentibus exemplis ſupra recenſitis; propoſita enim ſunt* (non inquit ut damnentur, & reprobentur, ſed) *ut per ea intelligamus, quantum Deo placeat Obedientiæ virtus, & ſimplicitas, & nobis proponuntur, ut imitanda, non quoad omnes particulares circumſtantias, ſed ſolum quoad perfectionem, & ſimplicitatem, juxta communes, & ordinarias leges Obedientiæ debitas. Conſtat enim aliquando Spiritum Sanctum movere,*

homines juſtos, ut ſupra communem, & ordinarium curſum Virtutum mirabilius operentur, qui modus operandi in exemplum etiam nobis propponitur, non ut illum eumdem modum operandi imitemur, ſed ut illius admiratione moti, ſaltem perfectionem virtutis aſſequi contendamus; quemadmodum late explicat Suarez loco citato num. 33. = Hic eſt locus integer Bened. XIV.

85 Verba autem illa quæ in nos Animadverſio diſertiſsima objecit, excerpta ſunt de medio, prioribus, ac poſtremis prætermiſsis. Eo vero in loco pergebat Pontifex Summus excuſationem inobedientium, & ideo dixit: *quod cæca Obedientia excludit prudentiam Carnis, & non prudentiam Spiritus*. Quod quidem in ſenſu præmiſſorum eſt verisſimum. Sed aliud eſt cæcam Obedientiam non excludere prudentiam ſpiritus, & cum ea componi poſſe: aliud, ita neceſſario illam includere debere, ut ſine illa conſiſtere omnino non poſsit. Igitur manifeſtum eſt ex Ben. XIV. & ex Patribus, cæcam, heroicamque Obedientiam, tum cum prudentia, tum ſupra prudentiam etiam Spiritus eſſe poſſe. Item manifeſtum eſt dari in exercitio Obedientiæ quemdam modum laudabilem, & admirabilem, non tamen omnibus & quoad omnia imitabilem. Ex quo iterum infertur dari quandam Obedientiam heroicam ſine prudentia, ſeu verius ſupra communem prudentiam. Id patet. Nam omne id quod in ſe ſe ſanctum, & perfectum eſt, idemque cum ſcientia, & prudentia Spiritus contemperatum, id nedum admirandum, ſed omnino omnibus hominibus ad imitandum proponi poteſt & debet omnino quoad omnia; nam & nullum inſtat periculum, & regulare illud eſt, & communibus Virtutum regulis conveniens. Dixlmus autem in caſu neque deſiderari Prudentiam, ſed loco communis & omni ſenſui perſpectæ Prudentiæ, aliam quandam abſtruſiorem, & ſuperexcellentiorem ſupponi; nam ex recitatis Guigonis Carthuſienſis verbis intelligimus; Summam eſſe prudentiam non credere ſibi ipſi. Addimus etiam pluſquam ſummam Prudentiam eſſe credere, & confidere Deo; ſicut Abraham Obedientium omnium Parens, & exemplar; qui contra ſpem in ſpem credidit. Certe in Obedientiæ negotio quidam axis eſt Charitas, rota Spes, reliquum Fides. Heroica autem Fides omnia poſſibilia credit; Heroica Spes non confunditur: Charitas heroica foras mittit timorem.

86 Neque hæc apparenter abſurda inſtant in ſolo Obedientiæ exercitio; nam ſuppetunt prorſus eadem in ſingulis fere Virtutibus. Pro Patriæ charitate Judith ſe manifeſto periculo violationis commixtioniſque cum Alienigenis expoſuit. Ne in manus Victorum impiorum incideret Razias gladio ſe percuſſit, e ſublimi ſe præcipitem dedit, diffluentia inteſtina diſtraxit, & in hoſtes conjecit. Sampſon juſto Philiſthæorum odio, Deoque invocato, & adjutore, ſeipſum, ac Philiſtæos iiſdem Templi ruinis oppreſſit. Martyrii ardore Apollonia ſponte in rogum, proſilivit. Violationis timore, & integritatis amore quamplurimæ Sanctæ Virgines diverſimode ſibi mortem conſciverunt. Mundi contemptu, tædioque affecti, & Cœleſtium contemplatione inflammati innumeri utriuſque ſexus Sancti homines deſertas ſolitudines petere, in ſpelæis, & cavernis deliteſcere, cum ſcorpionibus, ſerpentibus, feriſque immitiſſimis habitare, & præterea ab uſu, vel ſaltem frequentia Sanctiſſimorum Eccleſiæ Sacramentorum diſcedere elegerunt. Caſti-

gan-

gandi corporis, animique Cœleſtibus imbuendi ſtudio Pœnitentes permulti, potiſſimum vero illi quos ipſe S. Joannes Climacus plane exhorruit conſpectu, non tam ſe plectendis, & exercendis, quam prorſus dilaniandis, ac perimendis incumbebant. Stylitæ Cœlum inter terramque ſuſpenſi incredibilia multa, & numquam imitabilia gerebant. Quid cum communibus diſcretarum Virtutum legibus commune habuit, aut S. Theodoræ propoſitum, quæ inter viros, ut Monachus agebat, aut aliarum, aut aliorum, qui plura, nunquam communiter, aut probanda, aut docenda, laudabiliter tamen atque heroice geſſerunt? Et ea quidem peculiari Spiritus Sancti impulſu geſta fuiſſe compertum eſt, vel ex paſſim ſequuto præſervationis miraculo, vel aliunde. Neque enim intereſſe miraculum præſervationis omnino ad divini afflatus indolem, & argumentum eſt neceſſarium. Nam neque Sampſon, neque Apollonia, neque Pœnitentes a S. Joanne Climaco celebrati reapſe ab interitu corporis præſervati ſunt, quamquam Deo inſpirante; vel ſaltem probante ea patraverint. Sed juxta peculiare intentum & propoſitum bonum Sancti Spiritus, vel præſervantur ad gloriam Virtutis, ut plerumque, vel in eiuſdem Virtutis obſequium, quod raro quidem, ſed non ſine exemplo, quodam Martyrii genere coronantur. Hæc de Virtutibus extra ordinem, & excedentibus prudentiam illam, quæ dictat abſtinendum eſſe ab illicitis.

87 Nunc convertamur ad Virtutes illas excedentes prudentiam illam, quæ docet a ſtupiditate, & irrationabilitate cavendum. Hic iterum, ſi Sanctiſſimos Eccleſiæ Patres conſulamus, profecto dum Sanctorum Scientiam, Sapientiam, Prudentiam laudant, omnino nihil ſine iſtis audendum paſſim inculcant. At contra iidem Sapientiſſimi Patres dum Fidem, Simplicitatem, Obedientiam extollunt, porro ea loqui videntur, quæ facile nullum Scientiæ, Sapientiæ, Prudentiæ, & tandem rationi ipſi locum, & partem relinquunt in hujuſmodi Virtutum exercitio. Id certe patet in præmiſſis; ubi verum Obedientem, & ſtultum, & cœcum, & indiſcretum, & ſine examine, & ſine diſceptatione, & ſine interpretatione, & ſine mora, & ſine hæſitatione, & ſine cogitatione, quod idem eſt, ac ſine rationis uſu, tamquam lapidem, atque ſtipitem requirunt.

88 Huic vulgatæ Diſciplinæ, & Doctrinæ Sanctorum notiſſima Sanctorum etiam Exempla reſpondent, quæ Obedientes prorſus abſurdos, & ineptos, & irrationabiles, & quaſi ſine mente ſtipites, & lapides, & præter etiam præcipientium voluntatem, & intentionem, & præter ipſius prolati præcepti ſenſum, & vim, & tandem in ſola littera conſiſtentes, & extitiſſe, & abundaſſe demonſtrant.

89 Magnoaldus quidam Monachus S. Columbani diſcipulus, apud Continuatores Bollandianos Tom. 2. Menſis Septembris pag. 703., dum ceruſiam, aut vinum e dolio hauriret, S. Columbani juſſu vocatus, tanta alacritate, rapiditate, inconſiderantia proſiluit, ut nec morulam illam momentaneam ſiſtere paſſus, quo dolium, ne vinum effunderetur, obſtrueret. Quis hic ſive intentionem in præcipiente, ſive vim in præcepto, quod hoc ſaperet, inveniat? Id præcipiens, nedum non cogitavit, ſed ne ſuſpicari potuit quidem. Præcepti verba non ſenſum illum habebant. Cur ergo hanc Obedientiam laudabimus? Si actus hic tum ratione caruit, tum vim præcepti non eſt aſſequutus (nam in mandato rationabili omnino includebatur voluntas & intentio, ut prius quam inde diſcederet dolii meatus obſtrueretur) neceſſario ex Animadverſionum doctiſſimarum prin-

ci-

cipiis, ſtupiditatem hic, non Virtutem agnoſcemus. Sed fallimur. Deus ipſe miraculo Obedientiæ Heroëm illum probavit. Nam vini, aut ceruſiæ nihil penitus effuſum eſt.

90 Joannes quidam Monachus alius, de quo apud Continuatores &c. Tom. 3. Martii pag. 699, Superioris mandatis ſaxum immane movere nititur, quem hominum turbæ movere non poſſent. Hinc applicita nunc cervice, nunc toto pectore, tanto niſu atque conatu contendebat, ut ſudore omnium membrorum; non modo totum perfunderet veſtimentum, ſed & ſaxum ipſum &c. Quis hic rationis exercitium, & uſum quærat? Inſanientem illum profecto carnalis homo Irridens duxiſſet. At hæc erat Sanctorum Schola percelebris in heroico Obedientiæ exercitio.

91 Inſignis ille Paulus, de quo apud Continuatores &c. Tom. 1. Martii pag. 647. coram Magno Antonio, aliiſque, cum imperite interrogaret; *Quinam prius fuerit, Chriſtus ne, an Prophetæ?* Antonii digito ſilere juſſus, itemque nutu recedere; receſſit, ſiluit; ſed tamdiu, ut Monachos, & Antonium ipſum nihil tale cogitantem in ſtuporem induxerit. Neque hic vim præcepti eſt aſſequutus. Aperte Antonius poſtea ſeipſum expoſuit. Expreſſe teſtatus eſt, ſe non aliud intellexiſſe, & voluiſſe præcipere, niſi ſilentium, & abſceſſum illius horæ momenti. Ergo ſtupidus Paulus, qui ad litteram obtemperavit. Sed ſummum habet ſuæ Virtutis aſſertorem, & vindicem; ſcilicet Antonium ipſum, qui tantopere Hominis Obedientiam ſuſpexit, & extulit, ut faſſus ſit, Paulum ex hoc miro Obedientiæ exceſſu, & ſimplicitate, & Monachos omnes vincere, & ſeipſum confundere.

92 Eidem Paulo, de quo apud Continuatores &c. Tom. 2. Januarii pag. 147., alia die præcepit idem Antonius his verbis: *ſta, & ora in hoc loco, donec afferam quod opereris.* Paulus dicto audiens & obediens eo prorſus individuo loco infixus conſtitit, perduravitque immotus, diuque noctuque hebdomadam integram impaſtus, & inſomnis, & præterea ſole ſub torrente. Fatuitatem pleriſque id ſaperet, ſed ipſi Magno Antonio iterato ſpectaculum compunctionis, & admirationis præbuit. Quid modo ad hæc? Numquid contraria reponimus in S. S. Patrum doctrina & exemplis? Abſit. Numquid pro Virtutibus peccata, vel ineptiæ, & imprudentiæ, & ſtupiditates & abſurditates admittuntur? Abſit. Sed hæc omnia generatim ex dictis Ben. XIV. illicita, & peccata, inſcitiæ, & imprudentiæ videntur quidem, ſed non ſunt. Communes, & ordinarias Virtutum leges excedunt, & alium quemdam virtutum Ordinem conſtituunt extra ordinem, eò ſanctiorem, & ſublimiorem, & diviniorem, quo a regula, & conſuetudine communi remotiorem. Hinc celebranda, & reverenda ea ſunt, quamquam non ſtatim & vulgo omni ex parte imitanda, & imitationi proponenda. Non enim omnibus id datum eſt, ſed quibus a Deo eſt conſtitutum. Cum ex Apoſtolo *diviſiones gratiarum ſunt idem autem Spiritus; & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus .... alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ .... alteri fides in eodem Spiritu &c. alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii diſcretio Spirituum .... hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens, ſingulis prout vult.* Cor. 12.

93 Præterea ex Bernardo ſerm. 3. de Circumciſione Domini Tom. 2. pag. 80. hæc ſpeciatim de diſcretione, & Obedientia leguntur = *Hoc ergo timendum eſt, ne .... Corpus deſtruatur per immoderatam exercitationem .... ergo ne incurrat qui currit, neceſſe eſt lumine diſcretionis, quæ mater vir-*

virtutum eſt . . . . hæc docet, ne quid nimis . . . . at verò quia omnino rara iſta avis eſt in terris, hujus diſcretionis locum in vobis Fratres ſuppleat virtus Obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quam imperatum ſit, faciatis. = Hæc Bernardus. Nunc ſic. Diſcretio, ſeu prudentia ex Bernardo neceſſaria quidem eſt ad terminos & limites præſcribendos virtutibus omnibus, ut dici poſſit verum philoſophicum illud: *ne quid nimis*. At ex ipſo Bernardo Obedientiæ virtus tantæ molis, & roboris eſt ex ſeſe, ut etiam abſente diſcretione, diſcretionis vices ſupplere poſſit in exercitio reliquarum virtutum, & illarum menſuram optimam conſtituere, ut dici poſſit quod nunquam ſit nimis, hoc eſt indiſcretum, imprudens, vitioſum, ſed ſemper æquum, ſemper ſapiens, ſemper prudens, & tandem ſemper omnino virtus, quidquid Obedientia duce & magiſtra geſtum ſit. Ergo longe fortius, & virilius eandem vim, imo majorem, obtinet Obedientia in exercitio ſui ipſius. Nam ſi lux eſt, quæ illuminat omnia, quanto magis lux erit illuminans ſemetipſam? Itaque in vera hujus indolis Obedientia vitium cadere non poteſt, nec quod peccatum, nec quod ſtupiditas, & imprudentia ſit, nam ipſa Obedientia eſt ſibimetipſi & ſcientia, & ſapientia, & diſcretio, & omnia. Hinc optime Auguſtinus lib. 8. ſuper Gen. = *Obedientiam poſſum veriſſime dicere ſolam eſſe virtutem omni creaturæ rationali agenti ſub Dei poteſtate*. Obedientia ergo, & virtutes facit, & ipſa ſibi eſt virtus.

94 Hæc plane norunt ſapientiſſimi Suffraganti ex pleno paſſim SS. Patrum conſenſu, & ex Divinæ Obedientiæ nunquam ſatis abſolvendis præconiis. Nam vitium primum, & prima malorum labes Angelorum, & hominum inobedientia fuit. Hinc jure prima virtutum radix & Angelorum, & hominum redemptio & ſalus in Obedientia conſiſtere debuit. Hinc Apoſtolus Rom. 5. = *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius Obeditionem juſti conſtituentur multi* = Ideo Abraham credentium, & repromiſſionis Pater in Obedientia præcipue probatus, & tentatus eſt. Ideo Chriſtus ipſe hominum Reſtaurator & Redemptor vitam omnem, & mortem in Obedientia conſtituit = *Factus obediens uſque ad mortem*. .

95 Quæ vero poſt Chriſti veſtigia, & præcepta, & monita, & conſilia a SS. Patribus dictata, ſtatuta, & executioni mandata ſunt in ſcopum eumdem collineant, & ab eodem ſublimi principio derivant, ut homo nempe, qui per inobedientiam, & rebellionem deperiit, per Obedientiam, & ſui ipſius abnegationem omnimodam reſurgat, & exuatur carnalis, & vetus homo peccati, & induatur novus in Chriſto, qui in juſtitia creatus eſt.

96 *Novus autem homo iſte ſpiritualis qui renovatur de die in diem, ut ſurgat in virum perfectum, & in ætatem plenitudinis Chriſti*, adeo inſudat, & incumbit in deſtruendo veteri carnali homine, ut radicitus illum ſubmovendum & evellendum putet. Hinc primum potiora hominis vexat, deprimit, Deoque ſubmittit, nempe voluntatem, & intellectum; quòque magis in iis effodiendis, & contradicendis, & conculcandis proficit, eò altius faſtigium perfectionis aſſurgit. Hoc pacto, quemadmodum, quo magis ſuam voluntatem coerceat, & Deo ſubditam demittat eo eſt ſanctior, &, ut ita dicamus, alter homo; ita quo magis rationem perfringit, ſuccidit, impedit ut Deo pareat, eo eſt juſtior, & perfectior, & eo item ſapientior & prudentior: & hæc eſt omnino prudentia ſpiritus,

pru-

prudentiæ carnis adverſa, ut nempe homo nihil ſibi tribuat, nihil ex ſe deſumat, nihil in ſe confidat, nihil de ſe relinquat & nihil ſuperſit vetuſti hominis, nec etiam rationalis in opere, ſed per Fidem, Spem, Charitatem, & Obedientiam omnia nova, cœleſtia, & Divina in ipſo renaſcantur & inſint.

97 Cum vero hæc Sanctorum ſapientia ab eo deſcendat, qui lucem inhabitat inacceſſibilem, & ab eo prædicata ſit, qui Patris eſt æterna ſapientia, & ſplendor æternæ lucis, mirum eſſe non debuit, ſi carnalis homo, *qui non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*, nedum illam ignoraverit, ſed *ſtultitiam* crediderit. Sed *placuit Deo per ſtultitiam Crucis ſalvos facere credentes*, & Dei ſervis placuit *ſtultos* fieri, & haberi coram hominibus, ut coram Deo *ſapientes* eſſent. Hæc per tranſennam, & ſub cenſura dicta ſint; nam tantæ rei rationem reddere, & principia ſcrutari noſtrum non eſt, nec id Cauſſa repoſcit.

98 His præmiſſis objecta omnia Animadverſionum mole ſua concidunt, nihilque putamus addendum; quidquid enim in Dei Servum obiicitur in Virtutem ipſam, & in Sanctos, quos laudavimus, obiicitur.

99 In mortis diſcrimen ſe Dei Servus adduxit dum piſcem non parvi, ut inquiunt, ponderis (ſed ſi libet eſto etiam magni, & maximi ponderis) cum ſquamis & ſpinis comedere molitus eſt. Ita profecto; ſed etiam S. Theodora Obedientiæ Cauſſa non parvi piſcis mortui, ſed Crocodili faucibus ſe expoſuit; & ille alius ſe in Clibanum projecit flammantem. At inquit, nullo ſub obtentu illicitis opera danda eſt. Planè ita; at ille qui filium in flumen, & ille alius, qui filium in furnum ardentem vel projecit, vel proiicere tentavit, neque licita perpetraſſe dici poteſt. Quid ergo ſequitur? Quod ſpecie tenus illicita, medullitus autem, & in obedientis principio abſtrahunt ab illicitis, ſed & heroica, & ſanctiſſima ſunt. Nihil enim iſtorum malorum cogitant, aut ſuſpicantur quidem. Unum vident Deum in præcipiente: huic hærent, hic ſiſtunt, & fide plena, & ſimplicitate omni, & tota voluntate confidunt. Quid quod hoc objectum ex ſeſe nullum, longe decennium, de quo res hic eſt excedit atque prævertit. Reſpicit enim, ut conſtat, floridiorem S. D. juventutem. Eſt ergo extra aleam.

100 Iterum obiicitur. Dei Servum vim mandati non fuiſſe aſſequutum. Nam neque ille, qui de piſce præcepit = *ſel mangi tutto* = Et ille alius, qui mandavit = *Aſpettami qui* = Id intellexerunt, quod Dei Servus fecit. Sic equidem. Sed neque Paulus Simplex vim præceptorum obtinuit, dum diutius ſiluit & abfuit, & dum ad ſeptimum diem uno in loco ſtetit. Neque ille, qui dolii foramen non obſtruxit mandati indolem intellexit. Quid ergo? Hæc eſt diſciplina quædam arcani ſanctioris ſeorſim, hoc altum, hoc profundum, hoc plane divinum ingenium Virtutis iſtius. Sacrificium nempe, & holocauſtum Deo acceptiſſimum rationis, & intellectus. Nihil uſitatius apud Patres Virtutis hujus Inſtitutores, atque Magiſtros Sanctiſſimos, quam ut a Diſcipulis omnem penitus rationis uſum, & interpretationis indicium & umbram averterent. Hinc paſſim, ſeu potius perpetuo ſapientes, prudentes, interpretantes inſectabantur, reprehendebant, plectebant, expellebant: contra vero ſpecie tenus & hac in parte ſtupidos, irrationales amabant, amplectebantur, concelebrabant, & ad menſuram ſtupiditatis, & irrationabilitatis majoris, vel minoris, majorem, vel minorem heroicitatem Virtutis hujus in illis agnoſcebant. Summa ergo heroicitas Obedientiæ neceſſario eſſe debet ſum-

ſumma quædam ſpecie tenus ſtupiditas. Summa item Obedientiæ heroicitas eſt in ratione nulla, in interpretatione nulla. Ergo dum Superior Dei Servo præcepit de piſce, eſto etiam prægrandi = *ſel mangi tutto* = nullitas interpretationis in eo maxime ſiſtebat, ut prorſus omnia comederet, & ſquamas, & ſpinas, & ſi quid aliud erat infeſtius in piſce. Nam ſi diſcreviſſet ſquamas & ſpinas & carnem, & inter manducabilem, & non manducabilem cibum, & ſecum ipſe ratiocinatus eſſet hoc modo, ut Animadverſio ſupponere debet = *Certe Superior prudens eſt & diſcretus. Certe bonum mihi optat, & præcipit, non malum. Atqui bonum eſt comedere carnem, malum autem comedere ſpinas, & ſquamas, ergo ut juſſa ſequar, non ut ſonant in verbis, ſed ut præſumuntur in mente jubentis, debeo carnem comedere, ſquamas autem ſpinaſque proiicere.* Næ, ſi hunc Diſcipulum habuiſſet Magnus Antonius, quid de illo tam nimis multa diſtinguente, inferente, & interpretante dixiſſet? Certe quod neque pedem in Obedientiæ Virtute poſuiſſet: Quod non Monachum haberet, ſed philoſophum, ac propterea Eremum relinqueret feſtinato, & ad ſuos philoſophos rediret. Quidquid vero præterea de Vitæ diſcrimine objicitur, vel objici poteſt, jam nihil eſt ex præmiſſis. Si ex eo quod Teſtes habent = *poco mancò, che non ſi affogaſſe* = quicquam eruitur, id non eſt malum aliquod vere ſubſequutum & exiſtens, ſed unice mali formido, & periculum. At jam timor omnis momento abſceſſit, & malum quodvis penitus abfuit. Ergo vere hic interfuit præſervatio ab omni malo, quæ comitatur, & arguit, ut plurimum, hac in re Divinos inſtinctus. Si verò quidpiam levioris incommodi adfuiſſe videtur; id pro nihilo prorſus eſt reputandum; & nihil omnino inde contra aſſertam jure præſumptionem impulſus Spiritus Sancti derivari poteſt; nam neque mors ipſa, dum contigiſſet argumentum fuiſſet ſufficiens abſentiæ afflatus Divini ſpiritus. Potuiſſe enim eſſe, & aliunde probari, in caſu, præclarum quoddam Obedientiæ Martyrium, ſuperius jam diximus.

101 Obiicit tandem Obedientiam S.D. ſemel obſtitiſſe Charitati, ex quo Mulieris longo itinere adventantis confeſſionem excipere noluit, ne loco moveretur, in quo ſiſtebat Obedientiæ cauſſa. At omnino putamus Paulum Simplicem idem prorſus fuiſſe facturum, ſi idem ſibi ipſi contigiſſet dum perdurabat in loco, cui illum Obedientia infixerat. Quod ſi non feciſſet, neque illas Antonii laudes meruiſſet, nec Dæmonum flagellum ac debellator Antonio Judice, & Deo autore, ſupra ipſum etiam Antonium fuiſſet. Deinde Obedientia præceſſerat & illum occupaverat - Jam cæteris paribus prior in tempore eſt potior in jure; fas ergo fuit & debitum ſemel Charitatem Obedientiæ locum conceſſiſſe. Item Obedientia illa ſine Charitate non erat; imo erat ipſa Charitas erga Deum quem tota mente colebat, cui totus inhærebat, quem unice reſpiciebat in Superioris præcepto; illud recolens: qui *vos audit me audit*. Nil ergo mirum, ſi Dei Charitas, *quæ ſupereminet omnia* charitatem proximi quæ minor eſt, & ſecunda, ex Evangelio, ſemel tantiſper ſuſpenderit. *Diliges Dominum Deum tuum, hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum* Math. 22. Præterea tritum eſt licite poſſe Obedientiam nos ab aliquo bono perficiendo coercere, ut paſſim docent Magiſtri Virtutum omnes, etiam ex parte a Ben. XIV. præfato loco laudati.

102 Sic demum puta de ſingulis actibus reliqnis Virtutis hujus a SERVO DEI patratis quavis in Statione & ætate, a quibus perſequendis, & perpurgandis,

jam

jam tandem aliquando abſtinemus, nam fere ejuſdem ſunt indolis, & ingenii. Unum exoramus quam maxime in hoc DEI SERVO animadvertendum; Illum nempe in ea Virtute excelluiſſe ad miraculum, quæ Virtutes omnes, & merito & arduitate, & ſublimitate facile perviucit. Itemque in ejuſdem Diviuæ Virtutis exercitio tales ac tantos heroicos actus exercuiſſe, & frequentaſſe, & tota paſsim vita a juventute, imo ab adoleſcentia ad ſenectutem, & mortem uſque feciſſe tritos atque vulgares, quales vix Sanctorum faſtos omues pervolveutes in Sanctis admirabilioribus legimus. Tandem aduotandum valde ducimus, tum in vita Servi Dei, tum poſt ipſius mortem ſeu potius novam, & næiiorem, ut confidimus, Vitam, Deum cordium inſpectorem & Virtutum Judicem inapellabilem nihil magis miraculis confirmaſſe & teſtatam voluiſſe quam iſtam vere principem Servi Dei Virtutem. Id patet tum ex extaſi, & raptu, quæ illi contigerunt ad ſolam Obedientiæ vocem coram Commiſsario Generali Neapolitanæ Provinciæ, tum ex inſigui miraculo brachii exteuti poſt mortem ad Obedientiæ nomen, tum ex miraculo avis in Spiritualis Filiæ manum advolantis &c. quamquam hæc hujus loci, temporis, atque Judicii non ſint.

103 Quæ cum ita ſe habeant, valde confidimus, ut Præſtantiſsimi Suffragantes omnes, & ſinguli obſtaculum quodlibet in iſta Cauſa jam pleniſsime enodatum, & implexa omnia jam apertiſsime enucleata fateri non dedigneutur, & ſic &c. ad Dei majorem & perpetuam gloriam.

Quare &c.

F. Joſeph Maria Rugilo ex-Provincialis, & Poſtulator Ordinis Minorum Conventualium.

Urbanus Philippus Majani.

REVISA

Aloyſius Gardellini Sub-Promotor Fidei.

POTENTINA seu RAVELLEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

BONAVENTURÆ A POTENTIA

Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Conventualium S. FRANCISCI.

SUMMARIUM ADDITIONALE.

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate in Deum, & Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico in casu, & ad effectum &c.

DICTA TESTIUM

Novissime excerpta ex Processibus Apostolicis, & Informativis

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS

& primo

DE FIDE.

Num. 1.

ARTIC. I.
De Fide.

Ex Processu Apostolico Neapolitano.

§. 1.
Præcepta Divina, & Ecclesiastica, Regularia quoque vota, & statuta adamussim implebat. Dei pariter gloria, & salutis Animarum zelo insignis fuit apud omnes.

Testis II. *Admodum R. P. Mag. Bonaventura Cennamo ann. 78. examinat. die decima septima Junii 1739. Proc. fol. 280. juxta decimum quintum Interrog. respondit*: Benchè non sia stato permanente di stanza col Servo di Dio Padre Francesco Bonaventura da Potenza de Minori Conventuali, pure da Religiosi, che col medesimo hanno abitato, e da Secolari ancora sò, che il Servo di Dio fù osservantissimo de Comandamenti di Dio, e della Chiesa, come anche del voto della Castità, e di tutto ciò che era tenuto per ragione del suo stato Religioso; Dell' onore, e gloria di Dio, e salute dell' Anime fù zelantissimo il Servo di Dio Padre Bonaventura, locchè era sentimento comune presso tutti che lo conoscevano, e con quanti io ne hò parlato &c.

§. 2.
Fidem ipsius heroicam Testis deprehendit ex impensa religione qua SS. Eucharistiæ Sacramentum, Christi Domini Passionem, Sanctamque Dei Genitricem colebat: Item ex fervore concionandi, sedulitate lucrandarum Indulgentiarum, & profunda erga Superiores, & Episcopos reverentia.

